



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem  
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post  
Præfationem Indicantvr

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1619**

Quæstio LXVIII. De suscipientibus Baptismum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

damento asseratur : quamuis in re morali communem sententiam deserere difficile sit.

*Communis  
sententia.  
D. Thom.  
Palud.  
Nauar.  
Covar.*

Vltimo dubitari potest in hac materia, an hoc impedimentum contrahatur in priuato baptismo, vel tantum in solemnem. Et quidem itando in iure antiquo, communis sententia affirmat contrahi, vt patet ex Diuo Thom. Palud. & alijs dicta dist. 42. Nauar. cap. 16. num. 34. cap. 22. num. 40. & Couar. in 4. decre. c. 6. §. 4. num. 4. Quorum fundamentum est, quia iura antiqua generaliter loquuntur de susceptore, non limitando ad baptismum solemnem, vel priuatum. Vnde infert Nauarrus : idem esse seruandum nunc : quia Concilium Tridentinum nihil in hoc innouauit. Et addit in dicto cap. 22. num. 39. quod si in eo casu nulli designentur in paternos, omnes qui tangunt baptizatum, contrahunt impedimentum, etiam si sint plures, quam duo vel tres : quia Concilium Tridentinum solum restringit hunc numerum ad susceptores designatos. Nihilominus contrariam sententiam tenuit Soto in 4. dist. 42. quæst. 1. artic. 3. circa finem. Et fundamentum indicat his solis verbis : quia vbi non est solemnitas, non est proprie susceptor. Et ita interpretatur tacite iura antiqua : nam illa supponunt solemnem ritum baptismi, quo introductum est, vt præter baptizantem aliquis sit susceptor : nam seclusa illa solemnitate, cum aliquis corporaliter tantum teneat baptizatum, non sufficit ad munus susceptoris, & consequenter non satis est ad cognitionem spiritualem contrahendam. Immo, quod in baptismo priuato aliquis teneat baptizatum, est valde accidentarium & quasi materiale, & non fit propter ceremoniam baptismi. Vnde si is, qui baptizatur, sit adultus, nunquam in Baptismo priuato aliquis adhibebitur, qui illum teneat, vel suscipiat : si vero sit infans, interdum baptizari solet in lecto, interdum in vlnis matris, vel alterius personæ, non propter ceremoniam, sed propter commoditatem, vel opportunitatem : quod certe non satis est ad spiritualem cognitionem, quæ secundum iurium intentionem non est, nisi vbi est susceptor eo modo, quo speciali ceremonia Ecclesiastica est introductus. Quocirca hæc opinio, quamuis singularis videatur, mihi videtur satis consentanea rationi, & iuri etiam antiquo : & ad minimum censeo si is, qui baptizatum tenet, tantum (vt ita dicam) materialiter illum teneat, & non intendat illum veluti spiritualiter suscipere, exercendo circa illum quoddam Ecclesiasticum munus, & sub cura sua illum suscipiendo, eum nec posse proprie vocari susceptorem, nec contrahere spiritualem cognitionem : & ita existimo fieri regulariter in Baptismo priuato. Vnde cum ita sit, non oritur in susceptore illa obligatio instruendi baptizatum, quam supra diximus esse in solemnem Baptismo. Et ratio omnium est, quia tam obligatio, quam spiritualis cognatio, oritur ex proprio munere & actu susceptoris : hoc autem quamuis requirat aliquam actionem externam, non tamen in illa sola consistit, sed requirit intentionem aliquam, saltem exercendi actum ab Ecclesia institutum. Adde præterea, quamuis in Baptismo solemnem, necessarium sit adhibere susceptorem ex præcepto Ecclesiæ, eo modo, quo necessarium est seruare alias graues Ecclesiæ ceremonias, tamen in Baptismo priuato hoc non esse necessarium, nihilque peccari, si omitatur, quia nullum de hac re extat speciale præceptum positiuum. Item, quia si tunc non est necessarium seruare alias ceremonias pro solemnem Baptismo ab Ecclesia institutas, cur erit necessarium hanc obseruare? Nihilominus tamen, licet hæc ceremonia tunc non sit ex præcepto necessaria, si tamen vere, ac proprie adhibeatur voluntarie, probabile est, quod communis opinio dicit, tunc contrahi cognitionem spiritualem, quia tunc reuera ille est susceptor, de quo iura loquuntur. Nam, quod alix solemnitates non adhibeantur, non impedit, quo minus hæc possit impleri. Quo supposito, verum etiam

est, post Concilium Tridentinum posse hanc cognitionem contrahi in priuato baptismo, quia Concilium nihil in hoc innouat, quod iuri antiquo sit contrarium. Et quamuis dicat, susceptorem debere designari, & admitti à parochio : tamen, vel id intelligendum est ordinarie, & in Baptismo solemnem, vel certe nomine parochi comprehenditur omnis ille, qui munus baptizandi loco parochi suscipit. Non probatur tamen mihi, quod Nauarr. ait, tunc posse plures, quam vnum vel ad summum duos, spiritualem hanc cognitionem contrahere : quia est aperte contra limitationem factam à Concilio Tridentino. Vnde etiam falsum existimo dicere, si nullus sit specialiter designatus in susceptorem, omnes, qui tangunt puerum, seu tenent baptizatum, contrahere hoc impedimentum, quod quos illi sint : quia Concilium solum prescripsit numerum in susceptoribus specialiter designatis. Hoc (inquam) existimo falsum, sed potius in eo casu iudico neminem contrahere tale impedimentum, quia Concilium simpliciter voluit, vt non possent esse plures susceptores, quam duo, vir scilicet & femina. Et ad hoc voluit, vt qui futurus esset susceptor, esset specialiter designatus : & ideo, qui designatus non est, iam non est susceptor : & consequenter nec contrahit impedimentum, alioqui non euitarentur incommoda, quæ Concilio euitare intendit, si possent esse susceptores ad hoc munus non designati, vel plures quam designati. Quæ omnia etiam in Baptismo solemnem verum habent : ergo à fortiori in priuato. Et hæc sufficienter de susceptore, & de cognitione spirituali, quam contrahit, quæ fere omnia applicari possunt ad susceptorem in sacramento Confirmationis. Nam in omnibus est eadem ratio : his tantum exceptis, quæ ad baptismum priuatum pertinent, vt infra suo loco breuiter attingemus. De cognitione autem spirituali, quam contrahit minister baptismi, dicemus infra in parte morali, agentes de obligationibus eius : vbi addemus aliqua, quæ de hac cognitione spirituali desiderari possunt.

### QVÆSTIO LXVIII.

De suscipientibus Baptismum, in duodecim articulos diuisa.



Einde considerandum est de suscipientibus Baptismum.

Et circa hoc queruntur duodecim. Primo, vtrum omnes teneantur ad suscipiendum Baptismum.

Secundo, vtrum aliquis possit saluari sine Baptismo.

Tercio, vtrum Baptismus sit differendus.

Quarto, vtrum peccatores sint baptizandi.

Quinto, vtrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.

Sexto, vtrum requiratur confessio peccatorum.

Septimo, vtrum requiratur intentio ex parte baptizati.

Octauo, vtrum requiratur fides.

Nono, vtrum pueri sint baptizandi.

Decimo, vtrum pueri Indæorum sint baptizandi, inuiti parentibus.

Vndecimo, vtrum aliqui sint baptizandi in maternis vteris existentibus.

Duodecimo, vtrum furiosi & amentes sint baptizandi.

**T**Ractaturus D. Thom. in hac quæstione de his, qui suscipiunt sacramentum Baptismi, in eius discursu omnia complectitur, quæ ad huiusmodi personas pertinere possunt. Quæ ad quatuor capita videntur reuocari, quæ sunt : capacitas Baptismi, ad quam spectant omnia, quæ ex parte baptizati necessaria sunt, vt Baptismus fiat. Secundum est obligatio suscipiendi Baptismum. Tertium est id, quod ex parte baptizati est necessarium ad consequendum effectum,

etum Baptismi. Quartum est necessitas huius effectus, seu Baptismi ratione illius. Quae omnia perfectitur D. Thom. in 12. articulis huius quaestionis. Ne vero inchoatum a nobis ordinem inuertamus, circa hanc quaestionem solum ex professo disputabimus ea, quae ex parte suscipientis pertinent ad valorem & substantiam sacramenti, de qua nunc agimus, & quae cum his necessario connexa sunt: de caeteris vero attingemus tantum ea, quae ad intelligendam mentem D. Thomae fuerint necessaria: longiorem vero disputationem, vel ad quaestionem sequentem, quae est de effectu huius sacramenti, vel ad doctrinam moralem huius materiae, in fine illius tradendam, reservabimus.

ARTIC. I.

Verum omnes teneantur ad susceptionem Baptismi.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non teneantur omnes ad susceptionem baptismi. Per Christum enim non est hominibus arctata via salutis. Sed ante Christi aduentum poterant homines saluari sine Baptismo. Ergo & post Christi aduentum.

2. Praeterea, Baptismus maxime videtur esse institutus in remedium peccati originalis. Sed ille, qui est baptizatus, cum non habeat originale peccatum, non videtur, quod possit illud transfundere in prolem. Ergo filij baptizatorum non videntur esse baptizandi.

3. Praeterea, Baptismus datur ad hoc, quod aliquis per gratiam a peccato mundetur. Sed hoc consequuntur illi, qui sunt sanctificati in vtero sine Baptismo. Ergo non tenentur ad suscipiendum Baptismum.

Sed contra est, quod dicitur Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei. Et in lib. de eccles. dogmatibus dicitur, Baptizatus tantum iter salutis esse credimus.

Respondetur dicendum, quod ad illud homines tenentur, sine quo salutem consequi non possunt. Manifestum est autem, quod nullus potest salutem consequi, nisi per Christum. Unde & apostolus dicit Rom. 5. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam, in omnes homines in iustificacionem vita. Ad hoc autem datur baptismus, ut aliquis per ipsum regeneratus incorporaretur Christo, factus membrum ipsius. Unde dicitur Gal. 3. Qui cum in Christo baptizati estis, Christum induistis. Unde manifestum est, quod omnes ad baptismum tenentur, & sine eo non potest esse salus hominibus.

Ad primum ergo dicendum, quod nunquam homines poterunt saluari, etiam ante Christi aduentum, nisi fierent membra Christi: quia, ut dicitur Act. 4. Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Sed ante aduentum Christi, homines Christo incorporabantur per fidem futuri aduentus: cuius fidei signaculum erat circumcisio, ut apostolus dicit Rom. 4. Ante vero, quam circumcisio institueretur, sola fide (ut Gregor. dicit) cum sacrificiorum oblatione, quibus suam fidem antiqui Patres profitebantur, homines Christo incorporabantur. Post aduentum etiam Christi, homines per fidem Christo incorporantur, secundum illud Ephes. 3. Habitare Christum per fidem in cordibus vestris. Sed alio signo manifestatur fides rei iam praesentis, quam demonstratur, quando erit futura: sicut etiam alijs verbis significatur praesens, praeteritum, & futurum. Et ideo licet ipsam sacramentum baptismi non semper fuerit necessarium ad salutem, fides tamen, cuius baptismus sacramentum est, semper necessaria fuit.

Ad secundum dicendum, quod (sicut in secunda parte dictum est) illi qui baptizantur, renouantur per baptismum secundum spiritum, corpus tamen remanet subiectum veteri peccati, secundum illud Roman. 8. Corpus quidem mortificatum.

tuum est propter peccatum, spiritus vero vivit propter iustificationem. Unde & Augustinus probat in libro contra Iulianum, quod non baptizatur in homine quicquid in eo est. Manifestum est autem, quod homo non generat generatione carnali secundum spiritum, sed secundum carnem. Et ideo filij baptizatorum cum peccato originali nascuntur, unde indigent baptizari.

Ad tertium dicendum, quod illi, qui sunt sanctificati in vtero, consequuntur quidem gratiam emundantem a peccato originali, non tamen ex hoc ipso consequuntur characterem, quo Christo configurentur. Et propter hoc si aliqui, nunc sanctificarentur in vtero, necesse esset eos baptizari, ut per susceptionem characteris, alijs membris Christi conformarentur.

Lib. 6. cap. 6. ad med. ad si. tom. 7.

COMMENTARIUS.

SAepe in superioribus distinximus duplicem necessitatem sacramentorum: medij, scilicet, & praeccepti. & has duas videtur explicare D. Tho. in tribus primis articulis huius quaestionis. Et in hoc primo videtur quidem agere de necessitate praeccepti, ut constat ex titulo eius, tamen, quia haec necessitas praeccepti ibi semper est, ubi est necessitas medij, ideo D. Thomas in corpore articuli, ex eo quod fides Christi, & exterior eius professio per actum a Deo praecceptum, est necessaria ad salutem, colligit obligationem ad baptismum suscipiendum, quia in lege nova baptismus est sacramentum fidei, per quod fidem Christi solemniter profiteamur, eique incorporamur, & in eo regeneramur. Atque hinc colligit in solutione ad primum, in omni lege & statu hominum post peccatum primi parentis, fuisse similem obligationem proficendi fidem Christi per sacramentum, seu signum externum ad hoc institutum: de qua re late disputauimus supra, tractantes de sacramentis in genere. Caetera, quae D. Thomas dicit in articulo, clara sunt.

ARTICVLVS II.

Verum sine baptismo aliquis possit saluari.

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod sine baptismo nullus possit saluari. Dicit enim Dominus Iohanni tertio. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Sed illi soli saluantur, qui regnum Dei intrant. Ergo nullus potest saluari sine baptismo, quo quis regeneratur ex aqua & Spiritu sancto.

2. Praeterea, in libro de ecclesiasticis dogmatibus dicitur. Nullum catechumenum, quamuis in bonis operibus desunctum, vitam aeternam habere credimus, excepto martyrio, ubi tota virtus sacramenti baptismi completur. Sed si aliquis sine baptismo posset saluari, maxime hoc haberet locum in catechumenis, bona opera habentibus, qui videntur habere fidem per dilectionem operantem. Videtur ergo, quod sine baptismo nullus possit saluari.

3. Praeterea, sicut supra dictum est, sacramentum baptismi est de necessitate salutis. Necessarium autem est, siue quo non potest aliquid esse, ut dicitur 5. Metaphysic. Ergo videtur, quod sine baptismo nullus possit consequi salutem.

Sed contra est, quod Augustinus dicit super Leuiticum. Inuisibilem sanctificationem quibusdam affuisse & profuisse sine visibilibus sacramentis: visibilem vero sanctificationem (quae fit sacramento visibili) sine inuisibili posse adesse, sed non posse prodesse. Cum igitur sacramentum baptismi ad visibilem sanctificationem pertineat, videtur, quod sine sacramento baptismi, aliquis possit salutem consequi per inuisibilem sanctificationem.

1. 2. q. 113. ar. 3. ad 1. & 4. Iohanni tertio. q. 2. cor. 12. ad 3. & 4. cont. cap. 72. co. 2. & quod 11. ar. 4. Et 10. 6. 17. co. 1. Cap. 74. 10. 3. habetur de consec. 4. 2. 36. q. 65. ar. 3. & Er. 4. Lib. 5. Metaphysic. tom. 3.

In lib. 9. 1. Leuitic. ut q. 84. ad mea tom. 4.

Respondendo dicendum, quod sacramentum Baptismi dupliciter potest alicui deesse. Vno modo & re, & vobis quod contingit illis, qui nec baptizantur, nec baptizari volunt: quod manifeste ad contemptum sacramenti pertinet, quantum ad illos, qui habent usum liberi arbitrij. Et ideo hi, quibus hoc modo deest Baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramentaliter nec mentaliter CHRISTO incorporantur, per quem solum est salus. Alio modo potest sacramentum Baptismi alicui deesse, sed non voto, sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu, praeventur morte, antequam Baptismum suscipiat. Et talis sine Baptismo actuali, salutem consequi potest, propter desiderium Baptismi: quod procedit ex fide per dilectionem operante: per quam Deus interius hominem sanctificat, cuius potentia sacramenti visibilis non alligatur. Vnde Ambrosius dicit de Valentiniano, qui Catechumenus mortuus fuit. Quem regeneraturus eram, amisi: verum tamen ille gratiam, quam poposcit, non amisit.

In lib de obi-  
tu Valentin.  
paulo ante  
med. habe-  
tur lib 5. E-  
pist. imm. dia-  
te post ep 33  
rom. 3

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicitur 1. Reg. 16. Homo videt ea, que patent, Dominus autem intuetur cor. Ille autem, qui desiderat per Baptismum regenerari ex aqua & Spiritu sancto, corde quidem regeneratus est, licet non corpore. Sicut & Apostolus dicit Rom. 2 quod circumcisio cordis est in Spiritu, non in littera, cuius laus non ex hominibus, sed ex Deo est.

Ad secundum dicendum, quod nullus pervenit ad vitam æternam, nisi absolutus ab omni culpa & reatu pena. Quis quidem vniuersali absolutio sit in perceptione Baptismi & in martyrio: propter quod dicitur, quod in martyrio omnia sacramenta Baptismi complentur: scilicet, quantum ad plenam liberationem a culpa & pena. Si quis ergo Catechumenus sit habens desiderium Baptismi (quia aliter in bonis operibus non moreretur, que non possunt esse sine fide per dilectionem operante) talis decedens non statim pervenit ad vitam æternam, sed patitur penam pro peccatis præteritis, ipse tamen saluus erit sic quasi per ignem, ut dicitur prima ad Corinthios 3.

Ad tertium dicendum, quod pro tanto dicitur sacramentum Baptismi esse de necessitate salutis, quia non potest esse homini salus, nisi saltem in voluntate habeatur, que apud Deum reputatur pro facto.

COMMENTARIUS.

Responsio D. Thomæ est, sine Baptismo in re suscepto posse aliquem saluari, non tamen sine Baptismo in re, vel in voto: significat tamen in solutione ad secundum, Martyrium etiam habere vim ad supplendam vicem Baptismi: de qua re dicemus inferius.

ARTICVLVS III.

Verum Baptismus sit differendus.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod Baptismus sit differendus. Dicit enim Leo \* Papa 2. Duo tempora id est, Pascha & Pentecosten, ad baptizandum a Roman. Pontifice legitime præfixa sunt: vnde dilectionem vestram monemus, ut nullas alias dies huic obseruationi miscatis. Videtur ergo, quod oporteat non statim aliquem baptizari, sed vsq; ad prædicta tempora Baptismum differri.

2. Præterea, In Concilio Agathensi \* legitur: Iudei quorum perfidia frequenter ad vomitum redit, si ad leges Catholicas venire voluerint, octo menses inter catechumenos Ecclesia limen introeant, & si pura fide venire noscantur, tunc denum Baptismum gratiam mereantur. Non ergo statim sunt homines baptizandi, sed vsque ad certum tempus est differendum Baptisma.

3. Præterea, Sicut dicitur 1sa. 27. Iste est omnis fructus, ut auferatur peccatum. Sed magis videtur auferri peccatum,

\* d. 4. q. 3. ar.  
1. q. 2. & d.  
17 q. 1. ar. 1  
9. 4. cor. Et  
ma. q. 4. ar. 1  
Habetur de  
consec. d. 4. c.  
Duo tempor.  
Et sumitur  
ex epi eius  
4. c. 5  
In Con. Aga-  
thensi. c. 25

vel etiam diminui, si Baptismus diu differatur. Primo quidem, quia peccata post Baptismum gratius peccant, secundum illud Hebr. 10. Quanto magis putatis de curia mereri supplicia, qui sanguinem testamenti pollutum dixerit, in quo sanctificatus est, scilicet per Baptismum? Secundo, quia Baptismus tollit peccata præterita, non autem futura: vnde quanto magis Baptismus differatur, tanto plura peccata tollit. Videtur ergo, quod Baptismus debeat diu differri.

Sed contra est, quod dicitur 1. Cor. 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Sed perfecta conuersio ad Deum est eorum, qui regenerantur in CHRISTO per Baptismum. Non ergo debet Baptismus differri de die in diem.

RESPONDEO dicendum, quod circa hoc distinguendum est, utrum sint baptizandi pueri vel adulti. Si enim pueri sint baptizandi, non est differendum Baptisma. Primo quidem, quia non expectatur in eis maior instructio, aut etiam plenior conuersio: Secundo, propter periculum mortis, quia non potest eis alio remedio subueniri, nisi per sacramentum Baptismi. Adulti vero subueniri possunt per solum Baptismum desiderium, ut supra dictum est. \* Et ideo adulti non statim conuertuntur, est sacramentum Baptismi conferendum, sed oportet differri vsque ad aliquod certum tempus. Primo quidem propter cautelam Ecclesie, ne deceptiatur, sacramentum sic accedentibus conferens: secundum illud 1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint. Quo quidem probatio sumitur de accedentibus ad Baptismum, quando per aliquod spatium, eorum fides & mores examinantur. Secundo, hoc est necessarium ad utilitatem eorum, qui baptizantur, quia aliquo temporis spatio indigent ad hoc, quod plene instruantur de fide, & exercitentur in his, que pertinent ad vitam Christianam. Tertio, hoc est necessarium ad quandam reuerentiam sacramenti, dum in solemnitatibus præcipiunt, scilicet Pascha & Pentecosten, homines ad Baptismum admittuntur, & ita deuotius sacramentum suscipiunt. Hæc tamen dilatio est præmittenda duplici ratione. Primo quidem, quando illi, qui sunt baptizandi, apparent perfecte instructi in fide, & ad Baptismum idonei, sicut Philippus statim baptizauit Eunuchum, (ut habetur Actor. 8.) & Petrus Cornelium, & eos, qui cum eo erant, ut habetur Actor. 10. Secundo, propter infirmitatem aut aliquod periculum mortis. Vnde Leo 1. \* Papa dicit, si qui necessitate mortis, agritudinis, obsequii, persecutionis, & nauis ager videntur, omni tempore debent baptizari. Si tamen aliqui morte præueniantur, articulo necessitatis sacramentum excludente, dum expectat tempus ab Ecclesia institutum, saluati licet per ignem, ut supra dictum est. \* Peccat autem si vltra tempus institutum ab Ecclesia differat accipere Baptismum, nisi ex causa necessaria & licentia Prælatorum Ecclesie. Sed tamen & hoc peccatum cum alijs delicti potest per succedentem contritionem, que supplet vicem Baptismi, ut supra dictum est. \*

Ad primum ergo dicendum, quod illud mandatum Leonis \* Papa de obseruandis diebus temporibus in Baptismo: intelligendum est de adultis, excepto tamen periculo mortis, quod semper in pueris est timendum, ut dictum est. \*

Ad secundum dicendum, quod illud de Iudeis, est institutum ad Ecclesie cautelam, ne simplicium fidem corrumpant, si non fuerint plene conuersi. Et tamen, ut ibidem subditur, si infra tempus præscriptum, aliquod periculum infirmitatis incurrerint, debent baptizari.

Ad tertium dicendum, quod Baptismus per gratiam, quam conferre, non solum remouet peccata præterita, sed etiam impedit peccata futura, ne fiant. Hoc autem præcipue desiderandum est, ut homines peccent. Secundario autem ut leuius peccent, vel etiam ut eorum peccata mundenentur. Secundum illud 1. Ioan. 2. Filii mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis: sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatus pro peccatis nostris.



hæref. 28. Quamuis hi auctores videantur hunc errorem explicare, scilicet, posse hominem vivum in se baptismum suscipere, loco hominis mortui, & eo animo, & intentione, vt alteri pro sit: & hoc satis esse, vt alter vere maneat baptizatus. Sed, quoad locum Pauli pertinet, probabilis existimo, etiam ibi nullam facere mentionem huius erroris, vt latius tractavi supra tom. 2. huius 3. partis disput. 50. sect. 1. vbi de vero sensu huius loci late differui. Quod vero ad ipsum errorem attinet, vterque illius sensus aperte est hæreticus: quia constat solos homines viatores esse capaces sacramentorum, vt supra de sacramentis in genere dictum est: & de baptismo in specie probari potest ex citatis locis in cap. huius disputationis nam Christus de solis hominibus viuis, & in hac vita de gentibus dixit, Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: &, Docete omnes gentes, baptizantes eos. Et similiter vnicuique dixit, esse necessarium, vt ipse met renascatur & baptizetur: non vero, quod vnus pro alio baptizari possit. Denique certum principium fidei est, solum præsentis vitæ tempus esse omnibus hominibus destinatum, vt in eo possint gratiam, & peccati remissionem consequi.

Reiicitur di-  
ctus error.

Alia Catho-  
licorum sen-  
tentia.

Secundo tractari posset quorundam Catholicorum sententia, qui dixerunt, ad valorem Baptismi adultorum, non requiri consensum, seu intentionem eorum. Qui etiam bipartiti sunt: nam quidam dixerunt satis esse, vt non dissentiant, quamuis non consentiant, sed neutro modo se habeant. Alij vero addiderunt, etiam si dissentiant, & voluntate sua repugnent, dummodo exterius eis applicetur materia & forma baptismi, verum fieri sacramentum. Sed, quia contra hanc sententiam late disputauimus supra agentes de sacramentis in genere, & in baptismo nihil speciale occurrit, quod ibi tractatum non sit, eadem repetere non erit necessarium.

Reiicitur.

Alia senten-  
tia priori ex  
diametro op-  
posita.

Tertia sententia in alio extremo esse potest: ad valorem baptismi, non solum requiri consensum hominis baptizati, sed etiam oportere illum esse omnino spontaneum, nulla vi aut necessitate extortum, atque ita nec simpliciter nec secundum quid inuoluntarium. Ita videntur sensisse quidam, quos Cypr. epist. 66. post medium, alias libr. 4. epist. 12. refert, dixisse, eos, qui toto tempore vitæ baptizari nolunt, si in mortis articulo ipsis etiam petentibus baptizentur, baptismum esse inualidum, quia iam non tam voluntate, quam necessitate baptizari videntur. Hi autem hæretici multo maiori ratione asseruissent, si quis baptizetur ob timorem violentiæ mortis, vel exilij, aut alterius similis pœnæ, non manere baptizatum, etiam si interius baptizari velit: quia ille baptismus non est plene voluntarius.

Cyprian.

Reiicitur.

Conclusi.

Dicendum vero est primo, in adultis, vt baptismus sit validus, necessarium esse voluntarium consensum & intentionem suscipiendi baptismum. Hæc conclusio est communis Theologorum, quos supra retuli disput. 14. sect. 2. & sumitur ex Augustino lib. 4. de baptis. capit. 24. & Innocent. 3. in capitul. Maiores, de baptismo, & in citato loco generaliter de sacramentis probata est. Neque oportet distinguere de huiusmodi homine adulto, si solum habet originale peccatum, vel iam mortaliter peccauit, nihil enim hoc ad præsens refert. Nam quomodocunque se habeat, necessaria in illo est hæc intentio: quia hæc non requiritur propter impedimentum huius vel illius peccati: sed quia iam homo est dominus suorum actuum: & ideo sine proprio consensu, nec spiritaliter regenerari potest, nec membrum Christi aut Ecclesiæ fieri.

Conclusi.

Secundo addendum est, non oportere, vt hæc voluntas seu consensus sit actualis: sed satis esse, quod aliquando præcesserit, & moraliter duret, nec retractata sit. Res est communis, & certa: & prædicto etiam loco de sacramentis in genere inuoluata, &

sumitur ex Concil. Carthagin. 3. Can. 34. & Arauscan. 1. Can. 12. & ex dicto cap. Maiores, & Augustin. lib. 1. de Adulter. coniug. cap. 26. Ratio vero est: quia huiusmodi voluntas sufficit, vt talis baptismus censetur voluntarius. Vt vero hoc magis explicetur, aduertendum est, duobus modis posse contingere hominem baptizari cum hac sola morali seu virtuali voluntate ex præcedenti actuali voluntate relicta. Primo, vt cum baptizatur, ratione vti possit, & sciens & videns baptizetur, & non resistat, quamuis actu non consentiat: & tunc Baptismus sine dubio est validus, & quoad forum Ecclesiæ semper talis iudicatur: quia illa permissio & non repugnantia exterior, est sufficiens indicium interioris consensus: imo videtur esse quædam virtualis voluntas: tamen re ipsa & coram Deo necesse est, vt positius consensus saltem aliquando præcesserit, & retractatus non sit: quoniam sola illa non resistentia & carentia contrariæ voluntatis non satis est, vt actu sit voluntarius, sed solum vt sit permissus: vel neuter, seu nec voluntarius, nec inuoluntarius, quod non satis est ad valorem baptismi, vt dictum est. Secundo modo contingere potest, vt is, qui baptizatur, quamuis adultus sit, & aliquando ratione vsus fuerit, tamen, dum baptizatur, illa non vtatur, vel ex impotentia habituali, vt qui est amens, vel phreneticus: vel actuali, vt si sit dormiens vel omnino distractus & non considerans, quid circa ipsum fiat. Et in his omnibus casibus, re ipsa necessaria est, & sufficit positua voluntas præterita non retractata, vt constat ex his, quæ Diu. Thomas tradit infra artic. 12. & ex Augustino citatis locis, & 4. confess. capitul. 4. vbi de quodam amico suo refert, salutem factum esse per Baptismum, quem in phrenesi, absque vlllo sensu recepit. Et ratio cur hæc voluntas requiratur, sæpe repetita est, scilicet, vt susceptio baptismi sit aliquo modo humana, & voluntaria. Ratio vero, ob quam sufficit, est, quia in huiusmodi euentibus moraliter manet homo in ea dispositione voluntatis, in qua reperitur: propter quam causam non solum ad valorem sacramenti, sed etiam ad effectum potest sufficere talis voluntas, si cum sufficienti attritione coniuncta fuerit, vt dicemus latius inferius, agentes de Penitentia. Quod vero spectat ad Ecclesiæ forum, necessarium est in his euentibus, vt de priori voluntate data sint sufficientia indicia: de quibus constat saltem aliquo fidei testimonio: nam oportet vt illa voluntas aliquomodo Ecclesiæ constet. Imo addendum est, quamuis hoc sufficiat, vt valide sacramentum ministraretur: tamen, vt digne & sine peccato fiat, oportere, vt aliqua necessitas cogat ad baptizandum hominem in eo statu: vt, verbi gratia, si homo sit in probabili periculo mortis, vel impedimentum vsus rationis censetur perpetuum: nam extra hos casus expectanda est ea dispositio, seu aptitudo hominis adulti, in qua possit sciens & videns sacramentum accipere: tum propter maiorem certitudinem, tum propter maiorem fructum & reuerentiam sacramenti. Quando vero necessitate cogente opportunius tempus expectari non potest, si sufficientia indicia præterita voluntatis data sint, poterit valide & digne baptismus conferri. Et quamuis ad hoc posterius, id est, ad dignam administrationem præter indicia consensus, necessaria etiam sint aliqua penitentis signa: tamen si constet aliquem ostendisse voluntatem suscipiendi baptismum, & non constet in virtuali complacencia peccati mortalis incidisse in phrenesin, vel amentiam, præsumenda est huiusmodi dispositio, & ipsum desiderium baptismi, Ecclesiæ manifestatum reputabitur sufficiens etiam signum attritionis, seu bonæ dispositionis, vt digne possit dari sacramentum in articulo necessitatis.

Dico tertio, vt sacramentum hoc validum sit, sufficit consensus voluntarius simpliciter, quantumuis sit inuoluntarius secundum quid, id est, vi aut metu

Conc. Carth.

Conc. Araus-

Conc. Carth.

Conc. Araus-

Conc. Carth.

Conc. Araus-

Conc. Carth.

Conc. Araus-

Conc. Carth.

Conc. Araus-

Conc. Carth.

Conc. Araus-

Conc. Carth.

Conc. Araus-

Conc. Carth.

Conc. Araus-

Conc. Carth.

Conc. Araus-

Conc. Carth.

metu extortus. Conclusio est certa & de fide, & quidem, si metus sit ab intrinseco, seu absque vlla iniuria, vel actione humana incusis, res est manifesta, vt Cyprianus docet, contra vltimum errorem paulo antea citatum: quia etiam penitentia in articulo mortis ex metu concepta, potest esse vera penitentia, & sufficiens ad salutem, alias omnes, qui penitentiam differunt vsque ad finem vitæ, essent extra statum salutis, quod est hereticum, vt latius dicemus in materia de Penitentia. Et confirmatur nam votum factum ex huiusmodi metu ab intrinseco proueniente, est validum, quia est voluntarium simpliciter, licet sit inuoluntarium secundum quid: ergo similiter baptismus. At vero si metus sit extrinseca vi, & præsertim si sit per iniuriam illatus, non videtur res adeo clara: quia interdum contingit, vt huiusmodi inuoluntarium irritet contractum, vel effectum huiusmodi voluntatis, vt constat in Matrimonio, & in voto. Nihilominus tamen etiam, quoad hanc partem est conclusio definita ab Innoc. 3. in capitulo, Maiores, de Baptismo, & prius tradita fuerat in Concilio Tolentano. 4. capitulo, 56. prout habetur in capite de Iudæis, 45. distinctione. Et ratio est, quia ille consensus est simpliciter & absolute consensus voluntarius: ergo sufficit ad valorem baptismi: & ideo talis baptizatus censetur in prædictis Decretis imprimere characterem indelebilem, ratione cuius: qui sic baptizatus est, subditus manet iurisdictioni Ecclesiæ, & cogi potest ad seruandam fidem.

Declaratur hæc ratio. Nam si consensus sic voluntarius non sufficeret, vel hoc esset ex natura rei, vel ex institutione: non primum: tum quia ex natura rei efficacior est absoluta voluntas, quam displicentia secundum quid: tum etiam, quia in aliis rebus ad Deum spectantibus, huiusmodi voluntas ex natura rei sufficit, imo in quibuscunque contractibus ex natura rei sufficere potest nisi fortasse interdum ratione iniuriæ illatæ, quando ius acquirendum est ab eo, qui intulit iniuriam, vt latius dicitur infra in materia de Matrimonio, & tradi etiam solet in materia de voto, & in 1. 2. quæst. 6. quæ ratio in proposito locum non habet, quia Deus & Christus, nullam in hoc negotio inferunt iniuriam. Secundum etiam, de Christi voluntate, dici non potest, cum contrarium constet ex definitione & doctrina Ecclesiæ. Et quamuis non negemus potuisse Christum aliter hoc institueret, tamen hoc certe multo fuit congruentius. Ne nomen Domini blasphemetur, & fides semel suscepta, vili & contemptibilis habeatur, vt dicitur in prædictis Decretis. Et ideo, vt recte notauit Soto hic, d. r. art. 7. qui non vult Christianus hereticus debet quamcumque iniuriam sustinere, quam sicte baptismi consentire: quia in hoc magnam illi irrogat iniuriam. Quod si propter vitandum proprium incommodum, vere vult baptizari sine iniuria baptismi, necesse est, vt habeat voluntatem nunquam discedendi à fide, quam in baptismi professus est. Hæc ergo voluntas sufficit, vt baptismus teneat. Neque est simile de Matrimonio: quia valor eius, in ratione sacramenti fundatur in contractu humano, qui ibi intercedit. Quamuis, tam de illo, quam de voto, adhuc lis sub iudice sit, an ex natura rei, vel solum ex Ecclesiæ statuto introductum sit, vt irrita sint, si ex grati metu fiant, de quo non est hic disputandi locus.

Vltimo dicendum est, proprium consensum eius qui baptizatur, sufficere ad Baptismum absque dependentia ab alio humano consensu. Itaque etiam si sit filius familias, consensus eius sufficit, quamuis sit contra voluntatem parentis: vel si sit seruus, licet consentiat contra voluntatem domini: vel si sit quicumque alius, qui à quolibet superiori, vel Ecclesiastico pastore prohibitus sit baptizari. Conclusio est æque certa, ac præcedentes, quia valor sacramenti per se non pendet ex voluntate intrinseca, si ex parte suscipientis, & ministris, adhibeantur omnia necessaria,

quæ debita materia & forma: quod patet in omnibus aliis sacramentis: & maxime in his, quæ in quadam consecratione consistunt. Deinde est optima ratio seu congruentia: quia postquam aliquis est capax propriæ voluntatis, in his, quæ ad salutem pertinent, est sui iuris, & maxime vt subdici possit Deo, eiusque fidem ac religionem suscipere, & ideo in hoc non pendet vel à parente vel à domino: Ecclesiæ vero, quamuis interdum possit prohibere vsum sacramenti, propter eius reuerentiam vel aliam iustam causam: non potest tamen sua sola prohibitione efficere inualidum sacramentum, si ea non obitante, omnia necessaria adhibeantur, vt constat ex dictis de sacramentis in genere, in quo nulla hic noua difficultas occurrit.

## SECTIO II.

*Verum fides, vel aliqua alia dispositio suscipientis, necessaria sit ex parte eius ad valorem baptismi.*

**H**anc sectionem præmitto ante omnes sequentes articulos D. Thomæ, quoniam ex illius resolutione erunt perspicui. Et quamuis quæstio tantum sit proposita de valore, tamen quia res est facilis, simul expediemus ea, quæ ad dignam administrationem pertinent.

Primo ergo sit certum, ad valorem sacramenti, nec fidem, nec bonam aliquam dispositionem in suscipiente requiri. Est certa conclusio & communis omnium, vt in genere tractauimus dicta disput. 14. sect. 2. Et colligitur ex d. capit. Maiores, de baptismi, & cap. de Iudæis, 45. distinct. nam ille, qui per vim & coactum baptizatur, si baptismi consensit, cogendus dicitur ad seruandam fidem absolute, & sine vlla limitatione: ergo, etiam si cum incredulitate & infidelitate ad baptismum quis accedat, si tamen baptizari vult, characterem recipit, & verum sacramentum. Et hoc etiam confirmat praxis Ecclesiæ. Nam quemlibet ad vultum voluntarie baptizatum cogit ad seruandam fidem, etiam si constet fuisse infidelem, vel hæreticum cum baptizatus est: nec permittit illum iterum baptizari. Quod si fidei dispositio necessaria non est, multo minus quælibet alia: quoniam cæterarum omnium primum fundamentum est fides. Quamuis hinc possit etiam argumentum à contrario sumi: nam aliæ bonæ dispositiones non requiruntur ad valorem baptismi: ergo nec dispositio fidei, ergo nulla. Probatur prima consequentia: quia sicut aliæ dispositiones per se non ordinantur ad effectum sacramenti, sed ad effectum eius, ita neque fides. Dices, in hoc videtur posse haberi vera voluntas baptismi: tum quia, nisi quis credat, in baptismi esse aliquid commodi vel honestatis, non videtur posse illum appetere: & similiter, nisi credat esse sacramentum, non potest illum velle sub ratione sacramenti: tum etiam, quia illa voluntas est supernaturalis, ergo supponit fidem, in qua fundetur. Respondetur, si voluntas baptismi honesta sit, & ex desiderio propriæ salutis spiritualis & diuini cultus nascatur, moraliter necessarium esse, vt procedat ex fide, seu credulitate baptismi: non est autem necesse, quod voluntas baptismi sit in se supernaturalis: potest enim ex aliquo motiuo humano, vel naturali procedere, & ideo non est necesse, vt fundetur in fide supernaturali: sed in quadam humana credulitate, quam potest habere hæreticus. Interdum vero potest esse voluntas, quæ ad valorem baptismi sufficiat, absque vlla credulitate baptismi, solum sub quadam ratione confusa facienti vel suscipienti id, quod Christiani faciunt vel suscipiunt, quidquid illud sit: quam voluntatem potest quis habere, etiam si priuata opinione credat, totum id nullius valoris vel momenti esse: ergo ex hoc capite simpliciter loquendo non est magis

Probat  
conclusio  
priori

magis necessaria fides ad veritatem baptismi, quam sint aliae dispositiones voluntatis, ergo nulla est simpliciter necessaria. Ratio vero a priori huius conclusionis eadem fere est, quae in precedenti sectione tradita est. Nam haec veritas non pendet ex sola rei natura, sed ex institutione, à qua est totum esse sacramenti: constat autem ex usu & traditione Ecclesiae, hanc fuisse Christi institutionem. Congruentia autem illius est, quia non expedit, ut rei substantia pendeat ex accidentibus extrinsecis & contingentibus: sed ex proprijs principiis & causis: quod etiam est necessarium, ut possit certitudine morali constare de illius veritate & valore. Item est naturis rerum consentaneum, ut causa non pendeat à suo effectu, sed è contrario: ergo nec sacramentum pendere debet à suo effectu, ergo nec à dispositione, quae ad effectum ordinatur. Plura de hac materia dixi supra disp. 14. sect. 2.

Propos  
tio

Dico secundo, ut alicui digne detur baptismus, prae- ter voluntatem suscipiendi sacramentum necessaria est dispositio conveniens sanctitati sacramenti. Haec etiam assertio est certa & de fide, ut constat ex principijs generalibus de sacramentis: debent enim sacramenta sanctè & religiose tractari: ad hoc autem necesse est, ut cum debita dispositione suscipiantur: ergo idem necessarium est in baptismo, qui est vnum ex praecipuis sacramentis: & ideo Christus Matthaei ultimo dixit, Docete omnes gentes, baptizantes eos: quia debet baptismum precedere doctrina, qua homines ad baptismum disponantur, iuxta illud Marci ultimo, Qui crediderit & baptizatus fuerit, & illud Actor. 2. Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum. Denique ob hanc causam, in baptismo adultorum praemittitur catechismus, ut infra dicemus.

Matt. ult.

Dubitat  
1.  
Responde-  
tur.

Sed quaeres primo: quanam debeat esse haec dispositio. Respondetur, eam sufficere & necessariam esse, quae ad consequendum effectum baptismi fuerit sufficiens ac necessaria. Quia, cum per baptismum detur gratia, si aliquis est recte dispositus ad effectum baptismi consequendum, in instanti, quo receperit baptismum perfectum, recipiet gratiam: ergo cum sufficienti dignitate & sanctitate recipit sacramentum. Item, quia cum hoc sit sacramentum mortuorum, non est ad illud digne suscipiendum praeroganda gratia, ad quam conferendam ipsum est institutum: ergo sufficit illa dispositio, cum qua sacramentum conferretalem effectum. Quae autem sit haec dispositio, dicemus inferius disputantes de effectu.

2. Dubitat  
Responde-  
tur.

Quaeres secundo, an haec dispositio suscipientis requiratur ad dignam tractationem sacramenti ex parte suscipientis, vel etiam ex parte dantis. Respondetur, ex parte utriusque esse necessariam: nam ex natura rei & diuino iure vterque tenetur digne tractare id, quod sanctum est: ergo & suscipiens tenetur non vti sacramento nisi debite dispositus, & dans tenetur non dare sanctum canibus. Vnde ad hoc obligatur, non solum ministrans solemnitè, sed etiam qui priuatim baptizat, siue sit sacerdos, siue laicus, siue ex officio, siue ob necessitatem baptizet: quia haec obligatio non oritur ex officio vel ex modo baptizandi: sed ex ipsius rei natura & sanctitate sacramenti: eo vel maxime, quod nunquam potest esse necessarium dare baptismum homini indisposito, quia nihil ei, potest esse potest, etiam si sit in extrema necessitate constitutus, nisi ad effectum eius comparandum se disponat. Quomodo autem de hac dispositione constare debeat, non potest certiori regula praescribi aut declarari, quam quod probabilis quaedam & humana fides satis est, ad quam concipiendam prudentia est necessaria, penfatis omnibus, circumstantiis, personae, temporis, & occurrentis necessitatis, & opportunitatis, ut D. Thomas in artic. 3. & 4. latius declarat. Quari vero hic posset, an hic habeat locum distinctio de peccatore occulto vel publico petente baptismum. De

quare existimo idem esse ferendum iudicium, quod in simili quaestione de sacramento Eucharistiae fieri solet, ut in eo loco latius disputabimus.

ARTICVLVS V.

Vtrum peccatoribus baptizatis sint imponenda opera satisfactoria.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda. Hoc enim ad iustitiam Dei pertinere videtur, ut pro quolibet peccato aliquis puniatur, secundum illud Eccl. 8. vlt. Cuncta quae sunt, adducet Deus in iudicium. Sed opera satisfactoria imponuntur peccatoribus in penam praeteritorum peccatorum. Ergo videtur, quod peccatoribus baptizatis sint opera satisfactoria imponenda.

2. Praeterea, Per opera satisfactoria exercitantur poenitentia sunt dona & vocatio Dei, dicitur gratia Dei in baptismo non requiritur gemium neque plangentium, vel etiam opus aliquod sed solum fidem, & omnia gratis condonat.

3. Praeterea, Non minus debitum est, ut homo Deo satisficiat, quam proximo. Sed nuper baptizatis iniungendum est, ut satisficiant proximis, si eos leserint. Ergo etiam est eis iniungendum, ut Deo satisficiant per opera poenitentiae.

Sed contra est, quod Ambrosius super illud Rom. 11. Sine poenitentia sunt dona & vocatio Dei, dicitur gratia Dei in baptismo non requiritur gemium neque plangentium, vel etiam opus aliquod sed solum fidem, & omnia gratis condonat.

Respondendo dicendum, quod sicut apostolus dicit Roman. 6. quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, consensum enim sumus ei per baptismum in mort. m. ita scilicet, quod homo per baptismum incorporatur ipsi morti Christi. Manifestum est autem ex supra dictis, quod mors Christi satisfactoria fuit sufficienter pro peccatis, non solum nostris, sed etiam totius mundi, ut dicitur 1. Ioan. 2. Erit deo ei, qui baptizatur, pro quibuscumque peccatis, non est aliqua satisfactio iniungenda. hoc enim est iniuriam facere passioni & morti Christi, quasi ipsa non esset sufficientis ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in li. 1. de baptismo parvulorum, ad hoc baptismus valet, ut baptizati Christo incorporentur, ut membra eius. Vnde ipsa pena Christi fuit satisfactoria pro peccatis baptizatorum, sicut & poenitentia membri potest esse satisfactoria pro peccato alterius membri. Vnde 1. Cor. 13. dicitur: Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.

Ad secundum dicendum, quod nuper baptizati, exercitandi sunt ad iustitiam, non per opera poenitentiae, sed per opera factitia, ut quasi quodam lacte facili exercitii, & promoueantur ad perfectiora: ut glo. dicit super illud Psal. 130. Sicut ablatus est super mare sua. Vnde & Dominus discipulo suos de nouo conuersos, à ieiunio excusauit, ut patet Matth. 9. Et hoc est, quod dicitur 1. Pet. 2. Sicut modo geniti infantes, lac concipite, ut in eo crescatis in salutem.

Ad tertium dicendum, quod restituere male ablata proximo, & satisficere eis de iniuriis illatis, est cessare à peccando, quia hoc ipsum, quod est detinere aliena, & proximum lesim non placare, est peccatum. Et ideo peccatoribus baptizatis iniungendum est, quod satisficiant proximis, sicut & quod desistant à peccato: non est autem eis iniungendum, quod pro peccatis praeteritis aliquam penam patiantur.

COMMENTARIVS.

Attente considerandum est in titulo articuli, non tractare D. Thom. de peccatoribus baptizandis, sed de baptizatis, & quaestionem mouere de operibus sa-

bus satisfactoriis proprie ac formaliter, id est, quatenus ad satisfaciendum pro peccatis commissis efficiuntur. Eadem enim opera pœnalis, per quæ Deo satisfaciuntur, possunt ad plures alios effectus esse utilis. Primo, ad corrigendos prauos mores & moderandos affectus. Secundo, ad excitandam animam ad deuotionem & dolorem ac contritionem de peccatis. Tertio, ad impetrandum à Deo ipsammet veram penitentiam de peccatis. Diuus Thomas igitur in articulo solum negat, peccatoribus, qui ad baptismum accedunt, ita esse iniungenda hæc opera, vt ad satisfaciendum pro reatu peccatorum fiant, etiam post receptum baptismum: quod est certissimum, quamquam ratio, qua Diuus Thomas id probat, non videatur conuincere: sic enim argumentatur: Per baptismum conspeliuntur Christo in morte eius, id est, incorporamur ipsi morti Christi: ergo post baptismum nulla est satisfactio necessaria pro peccatis prius commissis: nam hoc esset iniuriam facere passioni & morti Christi, ac si ipsa non esset sufficiens ad plenariam satisfactionem pro peccatis baptizatorum. Quæ vltima probatio non videtur vrgens: quia licet satisfactio Christi in se sit sufficientissima, tamen ex defectu hominis, potest ei non plene applicari: ergo nulla foret iniuria morti Christi, si ob hanc causam, seu ob timorem alicuius impedimenti ex parte baptizati, ei satisfactoria opera imponantur.

Itaque propria ratio huius veritatis verenda est ex effectibus huius sacramenti: nam quia vnus effectus illius est, non solum remittat culpam, sed etiam omnem penam, si non inueniat obicem, vt infra videbimus: ideo per se loquendo nulla est homini baptizato necessaria satisfactio pro peccatis ante baptismum commissis, quia satisfactio solum habet locum, vbi aliquis reatus pœnæ relinquitur: hic vero effectus baptismi primariam originem ducit ex morte Christi, quantum ad sufficientiam, quantum ad efficaciam vero manet ex institutione eiusdem Christi, qua voluit suam satisfactionem per hoc instrumentum plene ac perfecte applicare. Hanc vero institutionem colligit D. Thomas ex significatione ipsius Baptismi, per quem perficimur nos commo-ri & conspeliuntur Christo, vt in ipso nouam vitam inchoemus, cui significationi consentaneum est, vt omnia priora peccata prorsus aboleantur in sanguine Christi, & ideo concludit fieri iniuriam ipsi sanguini Christi, & satisfactioni eius, si opera satisfactionis requirantur, ac si hoc sacramentum censetur insufficiente ad hunc effectum præstandum, quod non posset attribui, nisi insufficientiæ principalis causæ, seu satisfactionis Christi, quia ipsum sacramentum in se plenam significationem habet: virtutem autem ad faciendum quod significat, habere debet ex passione Christi: hoc igitur modo totum cederet in iniuriam ipsius passionis. Quamquam autem hæc veritas, tamen ante baptismum imponi possunt hæc opera: (vt Ecclesiastica etiam consuetudo habet, sicut infra videbimus quæstione 71) Imponuntur autem precipue propter vilitates supra dictas, quamquam Diuus Thomas hic ad secundum admo-ueat, nuper baptizatos non esse exercendos ad iustitiam per opera pœnalis, sed per opera faciliora, quia sunt veluti infantes denuo geniti, quia lacte potius indigent, quam solido cibo. Quod si verum est, maiori ratione locum habet in Catechumenis, qui nondum sunt generati. Sed licet hoc regulariter verum sit, & præsertim de operibus difficilibus, magis que pœnalibus: nihilominus tamen sæpe expedire potest, huiusmodi opera imponere, quia personæ status & conditio eis indiget: quamquam verum sit, non posse de his speciale præceptum imponi, sed solum potuerunt consili, vel si ex se iudicentur media necessaria ad cauenda peccata in futurum: poterit hæc obligatio homini declarari, & non prius ad Ba-

p-rium admitti, quam & ea faciat, quæ ad præbenda sufficientia signa veræ Penitentiae, & tollendas proximas peccatorum occasiones necessaria iudicabuntur, & similiter proponat post baptismum similia remedia adhibere ad cauenda peccata, si moraliter existimata fuerint necessaria, quod tamen moraliter loquendo, raro vel nunquam accidit.

Addo denique ante baptismum etiam posse hæc opera fieri animo & intentione satisfaciendi Deo pro pœna debita ob peccata ante baptismum commissa, & quamuis non possint hoc titulo præcipi ab Ecclesia, posse tamen sub hoc consilio proponi, in quo est differentia inter statum ante, vel post baptismum. Nam ante quam peccatum remittatur, quauis speretur tota eius pœna gratis in baptismo remittenda, nihilominus optimum est consilium, vt homo velit, quantum in se est, facere, vt prius Deo satisfaciatur, quod etiam est maioris amoris, ac deuotionis signum, post baptismum vero iam hoc non habet locum, quia iam est omnis pœna remissa. Dices, non constat homini baptizato, se non consecutum esse hunc effectum, aut non posuisse obicem illi. Respondetur primum, hoc esse per accidens, nos autem per se loqui. Et deinde, vt possit postea satisfacere, necesse est, vt prius sit in gratia, & tollat obicem, quem prius posuit, quo sublato, statim baptismus habet suum effectum, & ita iam non habet locum satisfactio per propria opera. Dices etiam, si homo sit consecutus integram remissionem culpæ, & pœnæ, potest velle, quantum in se est, satisfacere Deo, & ita soluere quod remissum est, ac si non esset remissum. Nam hoc modo etiam post remissionem culpam, potest homo habere verum actum contritionis ex proprio, & speciali motu virtutis Penitentiae. Respondetur, totum hoc verum esse, non tamen repugnare doctrinæ traditæ, & à Diuo Thoma intentæ, quæ solum est, hæc opera post baptismum non esse necessaria ad consequendam remissionem pœnæ, & hoc modo non esse faciendum propter actualem satisfactionem pro pœna, id est, vt ratione eorum remissio pœnæ obtineatur, in prædicto autem operandi modo non tam operatur quis ad faciendum actualiter, quam ad faciendum opera ex se satisfactoria, & ad explicandum affectum ad Deum, & ad honorem eius, & ad refarciendam, quantum in se est, iniuriam in illum commissam.

## ARTICVLVS VI.

Utrum peccatores ad baptismum accedentes, teneantur sua peccata confiteri.

**A**D sextum sic proceditur. Videtur quod peccatores ad baptismum accedentes teneantur sua peccata confiteri. Dicitur enim Matth. 3. quod baptizabantur multi à Ioann. in Iordane confitentes peccata sua. Sed baptismus Christi est perfectior, quam baptismus Iohannis. Ergo videtur quod multo magis illi, qui sunt baptizandi baptismo Christi, debeant sua peccata confiteri.

2. Præterea, Prout vbi dicitur: Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur. Sed ad hoc aliqui baptizantur, vt peccata sua misericordiam consequantur. Ergo baptizandi debent sua peccata confiteri.

3. Præterea, Penitentia requiritur ante baptismum, secundum illud Actuum 2. Agite Penitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum. Sed confessio est pars Penitentiae. Ergo videtur, quod confessio peccatorum requiratur ad baptismum.

Sed contra est, quod confessio peccatorum debet esse cōfessio, dicit enim Aug. in li. de Penitentia. Omnis ista vanitas conuertenda.

nit. e. 4 non  
procul à prin  
cipio 10 4  
b. betur de  
boni d. 4. c.  
art. med.  
Ad rem. 11  
super illa 4  
si e fecit  
sunt dona  
Dei rem. 5  
in l. de ma.  
pæn. c. p. 2  
non procul à  
princ. tom 2

findenda est & despenda. Sed sicut Ambrosius dicit gratia Dei in  
Baptismo non requiritur contritio neque planctum. Ergo à bap-  
tismo non est requiritur confessio peccatorum.

RESPONDEO dicendum, quod duplex est peccatorum  
confessio. Vna quidem interior, qua fit Deo, & talis confessio  
peccatorum requiritur ante Baptismum, ut scilicet homo  
sua peccata recogitans, de eis doleat. Non enim potest in-  
choare nouam vitam, nisi peniteat eum veteris vita, ut  
Augustinus dicit in libro de Penitentia. Alia vero est confes-  
sio peccatorum exterior, qua fit sacerdoti. Et talis confessio  
non requiritur ante Baptismum. Primo quidem: quia talis  
confessio est in Sacramento, quod non requiritur ante Baptismum:  
quia est inania omnium sacramentorum. Secundo, quia confes-  
sio exterior qua fit sacerdoti, ordinatur ad hoc, quod sa-  
cerdos confitentem absoluat à peccatis, & liget ad opera sa-  
tisfactoria, qua baptizati non sunt imponenda, ut supra  
dictum est. Nec etiam baptizati indigent remissione peccato-  
rum per clauas Ecclesie, quibus omnia remittuntur per Ba-  
ptismum. Tertio, quia ipsa particularis confessio homini fa-  
cta, est poenitentia propter verecundiam confitentis. Baptizato  
autem nulla exterior poenitentia imponitur. Et ideo à bap-  
tizandis non requiritur specialis confessio peccatorum, sed sufficit  
generalis, quam faciunt, cum secundum ritum Ecclesie ab-  
renuntiant Sathanae, & omnibus pompis eius. Et hoc modo  
dicit quedam glossa Matth. 3. quod in Baptismo Iohannis ex-  
emplum dabatur in baptizandis confitendi peccata, & pro-  
mittendi meliora. Si qui tamen baptizandi ex deuotione sua  
peccata confiteri uellent, esset eorum confessio audienda, non  
ad hoc quod eis satisfactio imponeretur, sed ad hoc quod con-  
tra peccata consueta eis spiritalis informatio uita trade-  
retur.

Ad primum ergo dicendum, quod in Baptismo Iohannis  
non remittebantur peccata, sed erat Baptismus Penitentiae,  
Et ideo conuenienter accedentes ad illud Baptisma, confite-  
bantur peccata, ut secundum qualitatem peccatorum eis Peni-  
tentia determinaretur. Sed Baptismus CHRISTI est sine  
exteriori Penitentia, ut Ambrosius dicit. Unde non est simi-  
lis ratio.

Ad secundum dicendum, quod baptizati sufficit confessio  
interior Deo facta, & etiam exterior generalis, ad hoc quod  
dirigantur, & misericordiam consequantur. Nec requiritur  
confessio specialis exterior, sicut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod confessio est pars Penitentiae  
sacramentalis, qua non requiritur ante Baptismum, ut di-  
ctum est, sed requiritur interioris Penitentiae uirtus.

COMMENTARIUS.

Distinguit Diuus Thomas de confessione interna,  
qua fit Deo, & externa, qua fit homini, & prio-  
rem affirmat esse necessariam ante Baptismum: de  
posteriori uero id negat. Sed circa priorem partem  
aduertendum est, illam internam confessionem ni-  
hil aliud esse, quam recogitationem peccatorum, ut  
Diuus Thom. etiam declarat: hac autem recogitatio  
non aliter necessaria est, nisi quatenus ad contriti-  
onem, uel attritionem habendam requiritur, uel ad  
eos effectus, quos necesse est cum uera Penitentia  
coniungi, quales sunt, restituere aliena, auferre pro-  
ximas occasiones peccandi, & similes, de quare di-  
cturi sumus latius in materia de Penitentia. Circa  
posteriorem autem partem aliter loquendum est de  
confessione externa peccatorum in genere, aliter uero  
de confessione sacramentali: hac enim posterior  
non solum non requiritur ante Baptismum, uerum  
nec praemitti potest: imo nec post Baptismum rece-  
ptum fieri potest de illis peccatis, quae ante Baptismum  
commissa sunt, quae non sunt materia sacramentalis  
confessionis: at uero alia confessio, quae extra sacra-  
mentum fieri potest, quae potius est ueluti consulta-  
tio quaedam, fieri potest ad maiorem animae profe-

ctum, & de hac potissimum loquitur D. Thomas in  
articulo.

Sed quari potest, an haec confessio necessaria sit  
ante Baptismum. Videtur enim fuisse olim in usu in  
Ecclesia. Dicit enim Tertullianus lib. de Baptismo cap. 20.  
Ingressurus Baptismum orationibus, ieiunijs, &c. &  
cum confessione omnium retro delictorum. Ex quo  
uero Pam. l. n. 136. confessionem colligit sacramen-  
talem. Nazianz. orat. 40. post medium dicit: Ad ba-  
ptizandum, nec peccatum tuum confiteri graue du-  
cas, sciens quo pacto Ioan. baptizaret. Matt. etiam 3.  
Accedentes ad Baptismum Ioann. prius confiteban-  
tur peccata sua: quod de confessione peccatorum in  
specie uidetur intelligere Chrysostomus. Homil. 3. imperf. &  
clare Basil. 1. opere de Baptismo par. 2. aliquantulum  
à principio, & significat D. Thom. supra q. 38. ar. 3. &  
hac quaest. Unde in lib. 9. Tripart. ca. 29. Ita refert So-  
crates. In Alexandria ciuitate plurimi ad Bap-  
tismum confitebantur, peccata confitentes bap-  
tizabantur. Et ratio esse potest: quia confessio uidetur ne-  
cessaria ad medicinam adhibendam praeteritis pec-  
catis, & ut Ecclesiae conitet de bona dispositione ba-  
ptizandi.

Dico tamen talem confessionem non esse neces-  
sariam ex communi sententia Theologorum. Et ratio  
est, quia illa confessio nec est, nec esse potest sacra-  
mentalis, quia ante Baptismum nullus est capax sa-  
cramenti Penitentiae: Imo peccata ante Baptismum  
commissa non sunt sufficientes materia sacramenti  
Penitentiae, etiam post Baptismum susceptum, ut  
suo loco dicam, quia fuerunt commissae extra forum  
Ecclesiae, confessio autem non sacramentalis non est  
homini necessaria, nec praecipua, nec per se est dispo-  
sitio ad gratiam. Quod si alicubi olim fuit illa con-  
suetudo, fortasse fuit per modum consilij, & cuius-  
dam actus humilitatis, & forte non erat exacta con-  
fessio, sed quaedam communicatio conscientiae ad  
instructiorem, & directionem. Atque ita satisfactum  
est adductis testimonijs. Ad rationem uero dicitur,  
alijs modis posse Ecclesiam habere sufficientia signa  
dispositionis baptizandi: medicinam uero curati-  
uam non esse necessariam, quia ipse Baptismus est  
sufficiens: Perseuerantiam uero uoluntarie suscipi  
posse à Baptismo suscipiente, & ob eam rem posse  
sua sponte consulere, quem uoluerit.

In solutione ad primum tractat D. Thom. locum  
Marthae 3. in quo dicit, quod baptizabantur multi à  
Ioanne conitentes peccata sua: atque illum explicat  
de posteriori confessione dicta, & quamuis in cor-  
pore articuli indicasse uideatur illam confessionem  
factam esse in generali, tamen in hac solutione de-  
clarat fuisse in particulari, nam inquit: Confiteban-  
tur peccata, ut secundum qualitatem peccatorum eis  
Penitentia determinaretur, quod fieri non poterat  
sine particulari & specifica reuelatione peccatorum:  
sed hunc locum tractaui praecedenti tomo in Com-  
mentario artic. 3.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ex parte baptizati requiratur intentio susci-  
piendi sacramentum Baptismi.

Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod ex parte ba-  
ptizati non requiratur intentio suscipiendi sacra-  
mentum Baptismi. Baptizatus enim se habet, sicut patiens in sa-  
cramento. Intentio autem non requiritur ex parte patientis,  
sed ex parte agentis: Ergo uidetur, quod ex parte baptizati  
non requiratur intentio suscipiendi Baptismum.

2. Praeterea, si praetermittatur id, quod requiritur ad  
Baptismum, homo est denno baptizandus: sicut cum pra-  
termittitur inuocatio Trinitatis, ut supra dictum est. Sed  
ex hoc non uidetur aliquis esse denno baptizandus, quod  
intentionem non habebat suscipiendi Baptismum: alioquin  
cuius

cum de intentione baptizati non conflet, qualibet posset petere se de mo baptizari propter intentionis defectum. Non videtur ergo quod intentio requiratur ex parte baptizati, ut suscipiat sacramentum.

3. Præterea, Baptismus contra peccatum originale datur. Sed originale peccatum contrahitur sine intentione nascitur. Ergo baptismus, ut dicitur, intentionem non requirit ex parte baptizati.

Sed contra est, quod secundum ritum Ecclesia, baptizandi profitentur se petere ab Ecclesia Baptismum, per quod proficitur suam intentionem de susceptione sacramenti.

Respondet dicendum, quod per Baptismum aliquis moritur veteri vite peccati, & incipit quandam vitam novitatem, secundum illud Romanorum 6. Consepulsi sumus Christo per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus. Et ideo sicut ad hoc, quod homo moriatur veteri vite, requiritur secundum Augustinum in habente usum liberi arbitrii voluntas, quia cum veteris vite peccat: Ita requiritur voluntas, quia intendat vitam novitatem, cuius principium est ipsa susceptio sacramenti. Et ideo ex parte baptizati requiritur voluntas, sive intentio, suscipiendi sacramentum.

Ad primum ergo dicendum, quod in iustificatione, qua fit per Baptismum, non est passio coacta, sed voluntaria. Et ideo requiritur intentio recipiendi id, quod ei datur.

Ad secundum dicendum, quod si in adulto deesset intentio suscipiendi sacramentum, esset rebaptizandus: Si autem hoc non consideret, esset dicendum, si non es baptizatus, ego te baptizo.

Ad tertium dicendum, quod baptismus ordinatur non solum contra originale peccatum, sed etiam contra actualia, quæ per voluntatem & intentionem causantur.

ARTICVLVS VIII.

Verum fides requiratur ex parte baptizati.

**A**d octauum sic proceditur. Videtur, quod fides requiratur ex parte baptizati. Sacramentum enim baptismi Christo est institutum. Sed Christus formam baptismi tradens fidem baptismi premitur dicens Mar. vii. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Ergo videtur, quod, nisi sit fides non possit esse sacramentum baptismi.

2. Præterea, Nihil frustra in sacramentis Ecclesie agitur. Sed secundum ritum Ecclesie, ille, qui accedit ad baptismum, de fide interrogatur, cum dicitur: Credis in Deum Patrem, &c. Ergo videtur, quod fides ad baptismum requiratur.

3. Præterea, ad baptismum requiritur intentio suscipiendi sacramentum. Sed hoc non potest esse sine recta fide, cum baptismus sit recta fidei sacramentum. Per eum enim incorporantur homines Christo, (ut dicitur in libro de baptismo parvulorum) hoc autem non potest esse sine recta fide, secundum illud Eph. 3. Habitate Christo, si per fidem in cordibus vestris. Ergo videtur, quod illi, qui non habent rectam fidem, non possint suscipere sacramentum baptismi.

4. Præterea, Infidelitas est grauissimum peccatum, ut in secunda parte habitum est. Sed permanentes in peccato, non sunt baptizandi. Ergo etiam nec permanentes in infidelitate.

Sed contra est, quod Greg. \* scribens Quirino Episcopo dicit, Ab antiqua Patrum institutione didimus, ut qui apud hæresim, in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut vnctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei, ad sinum matris Ecclesie reuocentur. Hoc autem non esset, si recta fides esset de necessitate baptismi. Non ergo recta fides ex necessitate requiritur ad susceptionem baptismi.

Respondet dicendum, quod sicut ex dictis patet, \* efficitur Franc. Suarez, Tom. 3.

in anima per baptismum, scilicet character & gratia. Dupl. ergo aliquid ex necessitate requiritur ad baptismum: Vno modo sine quo gratia haberi non potest, quæ est vltimus effectus sacramenti. Et hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad baptismum, quia sicut dicitur Roman. 13. Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi. Alio modo requiritur aliquid ex necessitate ad baptismum, sine quo character baptismi imprimi non potest. Et sic recta fides baptismi non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dñmodo ad sint cetera, quæ sunt de necessitate sacramenti. Non enim sacramentum perficitur per iustitiam hominis dantis, vel suscipiens baptismum, sed per virtutem Dei.

Ad primum ergo dicendum, quod Dominus loquitur ibi de baptismo, secundum quod peruenit homines ad salutem per gratiam iustificantem: Quod quidem sine recta fide esse non potest: & ideo signanter dicit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

Ad secundum dicendum, quod Eccl. sic intendit homines baptizare, ut emendantur a peccato: secundum illud 1sa. 27. Hic est omnis fructus, ut auferat peccatum. Et ideo, quantum est de se, non intendit dare baptismum, nisi habentibus rectam fidem, sine qua non est remissio peccatorum. Et propter hoc interrogat accedentes ad baptismum, an credant. Si tamen sine recta fide aliquis baptismum suscipiat extra Ecclesiam, non percipit illum ad suam salutem. Unde August. \* dicit, Ecclesia Paradiso comparata indicat nobis, posse quidem baptismum eius homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam nemini percipere vel tenere.

Ad tertium dicendum, quod etiam non habentibus rectam fidem circa alios articulos, potest habere rectam fidem circa sacramentum baptismi, & ita non impeditur, quin possit habere intentionem suscipiendi sacramentum baptismi. Si tamen etiam circa hoc sacramentum non recte sentiat, sufficit ad perceptionem sacramenti generalis intentio, quia intendit suscipere baptismum, sic ut Christus instituit, & sicut Ecclesia tradit.

Ad quartum dicendum, quod sicut sacramentum baptismi non est conferendum ei, qui non vult ab alio peccato recedere: ita etiam nec ei, qui non vult infidelitatem deserere. Vterque, tamen suscipit sacramentum, si et conferatur: licet non ad salutem.

Doctrina horum articulorum sufficienter explicata est in præcedenti disputatione: circa textum autem D. Thom. nihil notandum occurrit.

ARTICVLVS IX.

Verum pueri sint baptizandi.

**A**d nonum sic proceditur. Videtur, quod pueri non sint baptizandi. In eo enim, qui baptizatur, requiritur intentio suscipiendi sacramentum: ut supra dictum est. Huiusmodi autem intentionem non possunt pueri habere, cum non habeant usum liberi arbitrii. Ergo videtur, quod non possint suscipere sacramentum baptismi.

2. Præterea, Baptismus est fidei sacramentum, ut supra dictum est. Sed pueri non habent fidem, quæ consistit in credentium voluntate, ut Augustin. \* dicit, per Ioann. Nec etiam potest dici, quod saluentur in fide parentum: quia quandoque parentes sunt infideles, & sic magis per eorum infidelitatem damnantur. Ergo videtur, quod pueri non possint baptizari.

3. Præterea, 1. Pet. 3. dicitur, quod homines saluos facit baptismus, non carnis depositio sordium, sed conscientia bona interrogatio in Deum. Sed pueri neq. conscientiam habent bonam vel malam (cum non habeant usum rationis) neq. etiam conuenienter ipsi interrogantur, cum non intelligant. Non ergo pueri debent baptizari.

I Sed

lib. de m. d. 2. c. 2. non loq. d. p. 109. 9

4. d. 6. q. 1. ar. 1. q. 2. ar. 1. q. 3. cor. 1. d. 9. ar. 1. q. 2. ad 2.

lib. 1. de pte. no. 6. em. 1. c. 6. amed. lud. Eph. 3. im. 7

Cap. 2. q. 10. ar. 3.

hæres. lib. 9. q. 1. c. non. cit. hæresim. d. 4. c. 41.

q. 6. ar. 6.

q. 69. ar. 4. & 6

lib. 4. de Bap. tism. Do. nat. in prin. tom. 7

4. dist. 4. q. 3. ar. 1. q. 1. & Mal. q. 4. ar. 1. cor. prin. & quod. 4. ar. 10. cor. Et quod. 9. ar. 12. co. 1. ar. 7. huius. quæst. 9. 65. ar. 1. in li. de præ. dell. sancti. 6. 1. in. si. to. 7

Cap. 7. Eccl. Hier non procul a h.

Sed contra est, quod Dionysius dicit vlt. cap. Eccl. Hierar. Dicitur nostri dicitur, scilicet Apostoli, probauerunt infans ut recipi ad baptismum.

Respondeo dicendum quod sicut Apostolus dicit, Rom. 5. Si vnus delicto, mors regnauit per vnum, scilicet, per Adam, multo magis abundantiam gratiae & donationis, & iustitiae accipientes, in vita regnabunt per vnum Iesum Christum.

Et dicit Augustinus li. 3. Hy. p. 3. Et lib. d. pec. mer. & remis. 6. 19 tom 7.

Pueri autem ex peccato Adae peccatum originale contrahunt. Quod patet ex hoc, quod sunt mortali tati subiecti, quae per peccatum primi hominis in omnes pertransit, vt Apostolus videmus. Vnde multo magis pueri possunt per Christum gratiam accipere, vt regnent in vita aeterna. Ipse autem Dominus dicit, Ioan. 3. Quod nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Vnde necessarium fuit pueros baptizari, vt sicut per Adam damnati tonem incurrerunt nascendo, ita per Christum salutem consequantur renascendo.

Aug. de Gen. ad lit. lib. 12. cap. 11. tom 1. Con. Milen. c. 1. tom 1.

Fuit etiam conueniens pueros baptizari, vt a pueritia nutriti in his, quae sunt Christianae vitae, firmius in ea perseuerent, secundum illud Prou. 2. Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Et hanc rationem assignat Dionysius vlt. cap. Eccl. Hier.

Cap. 7. Eccl. Hier 1. ar. 7. 0 procul a h.

Ad primum ergo dicendum, quod regeneratio spiritalis, quae fit per baptismum, est quodammodo similis naturae carnali, quantum ad hoc, quod sicut pueri in matrem vteris constituti, non per seipsum nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur: ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in vtero matris Ecclesiae constituti, non per seipsum, sed per actum Ecclesiae salutem suscipiunt. Vnde Augustinus dicit in libro de Peccatorum meritis & remissione. Mater Ecclesiam maternum paruulus paret, vt sacris mysteriis imbuanter: quia nondum possum corde proprio credere ad iustitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestant, quodammodo profitentur: cur etiam non penitentes habeantur, cum per eorundem verba gestant, a diabolo & huic saeculo abrenuntiare monstrantur? Et eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriae intentionis: cum ipsi quandoque, contra nitantur & plorent, sed per actum eorum a quibus offeruntur.

Lib. 1. cap. 21 circa fi. 10. 7

Exo lib. c. 19 circa fi. 20 7

Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus scribens Bonifacio dicit: in Ecclesia Saluatoris paruuli per alios credunt, sicut ex aliis, qui in Baptismo remittuntur, peccata traxerunt. Nec impeditur eorum salus, si parentes sint infideles: quia, sicut Augustinus dicit, etiam Bonifacio scribens: offeruntur paruuli ad percipiendam spirituales gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus quam ab ipsis, si & ipsi boni fideles sunt quam ab vniuersa societate Sanctorum atque fidelium. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, & quorum charitate ad communionem sancti Spiritus adiunguntur. Infidelitas autem propriorum parentum: etiam si eos post baptismum demoniorum sacrificijs imbuerent, pueris non nocet: quia, vt Augustinus ibidem dicit, puer semel generatus per aliorum voluntatem, semper non potest vinculo aliena iniquitatis obstringi, vbi nulla sua voluntate consentit: secundum illud Ezechielis decimo octauo. Sicut anima patris mei est, ita & anima filij: anima que peccauerit, ipsa morietur. Sed ideo ex Adam traxit, quod sacramenti illius gratia solueretur: quia nondum erat anima separata viuens. Fides autem vnus, imo totius Ecclesiae paruulo prodest per operationem Spiritus sancti, qui vnit Ecclesiam, & bona vnus alteri communicat.

Epist. 23. c. 2

In ea epist. 23 in mod. 2

2a ep. 23. cir ca prin. to. 2 habetur de consec. dist. 4. c. 119

Ad tertium dicendum, quod sicut puer cum baptizatur, non per seipsum, sed per alios credit: ita non per seipsum sed per alios interrogatur: & interrogati consentunt fidem Ecclesiae in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei sacramentum. Consentientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso: non quidem actu, sed habitu per gratiam iustificantem.

COMMENTARIUS.

Vo docet D. Thomas in hoc articulo. Primum est, infantes esse capaces Baptismi, quod probatur: quia sicut pueri ex Adam nascendo contrahunt originale peccatum, ita necesse est eos renasci in Christo, vt possint gratiam consequi, & a peccato exire: sed non possunt in Christo renasci, nisi possint baptizari: ergo necessarium fuit, vt essent capaces Baptismi. Secundum est: conueniens esse pueros baptizare, vt a pueritia nutriti in his, quae sunt Christianae vitae, firmius in ea perseuerent: de quibus assertionibus latius ex professo disputandum est. Nunc rationes D. Thomae declaranda sunt. Ratio enim prior, vt nimum, vel nihil probare videtur: nam si pueros quoniam sunt capaces originalis peccati ante usum rationis, necesse est esse capaces Baptismi in eodem statu, sequitur etiam in vtero materno debere esse capaces Baptismi: nam etiam ad eundem statum applicari possunt verba Pauli, quae D. Thomae adducit. Si vnus delicto, mors regnauit per vnum, multo magis abundantia gratiae, & donationis, & iustitiae accipientes in vita regnabunt per vnum Iesum Christum. Hanc difficultatem attigit D. Thomae infra, articulo. Argum. cum solutione. Et respondet, Pueros in vtero matris exiitentes non posse subijci actioni humanae, quia nondum in lucem prodierunt. Ex quibus verbis colligitur in primis, non esse parem rationem de statu in vtero & extra vterum ante usum rationis. Colligitur deinde limitatio seu declaratio rationis Diui Thomae, nimirum hominem, qui est capax originalis peccati, debere etiam esse capax remediij seu iustitiae & regenerationis in Christo, si possit subijci actioni sensibili & humanae: quoniam expedit, regenerationem in Christo fieri per huiusmodi actionem, de qua re plura dicturi sumus infra disputantes de Baptismi necessitate.

Circa posteriorem rationem dubitari potest, quia ante usum rationis pueri non possunt in fide instrui, seu enutriti, ergo ex hoc capite non oportet eos tunc baptizari. Deinde, eo modo, quo tunc possunt instrui, per quandam puerilem consuetudinem & imperfectam conceptionem, possent etiam quamuis non essent baptizati: imo & post rationis usum, statim a principio illius, possent doceri & instrui, etiam si baptizati non essent: ergo hoc capite, nulla dari potest sufficiens causa huius consuetudinis. Respondetur, non esse hanc solam rationem huius consuetudinis, sed alias quas disputat. sequenti declarabimus, haec tamen etiam per se sumpta & recte intellecta, est optima, nam ad fidei firmitatem, & vt fiat veluti connaturalis, multum confert, quod a principio fere natiuitatis infante offerantur, tractentur & educantur vt Christiani, & vt membra Ecclesiae, non postea efficienda, sed iam facta. Item confert multum, vt pueri ab infantia imbibanter fidem, vt omnino necessariam ac perpetuo retinendam: & quod se semper agnoscant vt Ecclesiae subditos, a cuius gremio eis recedere non licet: quae omnia in Baptismo fundantur: hoc ergo modo Baptismus infantum utilissimus est, vt in fide Christiana enutriti firmius illi adhaereant.

Quae D. Thomas tractat in solutione argumenti, quomodo paruuli sine propria intentione & fide baptizari possint, aut quomodo eis profit fides, aut meritum Ecclesiae bene explicatur a Caietano breui commentario. Resolutio est, de necessitate sacramenti, nihil esse paruulo necessarium ex parte sua, vt sit capax, quia illi sufficit voluntas & intentio Christi, per quem regeneratur: tamen ad maiorem solemnitatem, & ad significandos effectus, quos baptismus habet in infantibus, vtitur Ecclesia illis ceremoniis, quibus

DISPUTATIO XXV.

quibus significat, paruulos uelle baptizari, credere, & iustificari, non proprijs actibus, sed uoluntate sui capitis, seu totius corporis Ecclesie. Cuius meritum dicitur etiam paruulis prodesse, non quia ratione illius iustificatur, sed quia pro eis orat Ecclesia, ut sine impedimento, & baptismum accipiant, & postea suo tempore illius effectum perficiant.

ARTICVLVS X.

Verum pueri Iudeorum, vel aliorum infidelium sint inuitis parentibus baptizandi.

Addecimum si proceditur. Videtur, quod pueri Iudeorum vel aliorum infidelium sint baptizandi, etiam inuitis parentibus. Magis enim debet homini subueniri contra periculum mortis aeternae, quam contra periculum mortis temporalis. Sed puero in periculo mortis temporalis existenti est subueniendum. etiam si parentes per malitiam contra nitentur. Ergo multo magis est subueniendum puero, infidelium filius, per baptismum contra periculum mortis aeternae, etiam inuitis parentibus.

Præterea, filij seruorum sunt serui, & in potestate dominorum. Sed Iudei sunt serui, & regum & principum, & quicumque etiam alij infideles. Ergo absque omni iniuria possunt Principes filios Iudeorum, vel aliorum seruorum infidelium facere baptizari.

Præterea, Quilibet homo est magis Dei, a quo habet animam, quam partus carnalis, a quo habet corpus. Non est ergo iniustum, si pueri, infidelium filij, parentibus carnalibus auferantur, & Deo per baptismum consecrentur.

Sed contra est, quod in Decret. dist. 45. Concilio Toletano sic dicitur de Iudeis. Præcepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre: non enim tales inuiti saluandi sunt, sed uolentes, ut integra sit forma iustitiae.

Respondendo dicendum, quod pueri, infidelium filij, aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, iam quantum ad ea, que sunt iuris diuini vel naturalis, incipiunt sui potestatis esse. Et ideo propria uoluntate, inuitis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut & matrimonium contrahere. Et ideo tales licet inueniri possunt, & induci ad suscipiendum baptismum. Si uero nondum habent usum liberi arbitrij, secundum ius naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi prouidere non possunt. Unde etiam de pueris antiquorum dicitur, quod saluabantur in fide parentum. Et ideo contra iustitiam naturalem esset, si tales pueri inuitis parentibus baptizarentur: sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur inuitis. Esse etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesie consuetudo, quod filij infidelium, inuitis parentibus, baptizentur.

Ad primum ergo dicendum, quod a morte corporali non est aliquis eripendus contra ordinem iuris ciuili: puta, si aliquis a suo iudice condemnatur ad mortem, nullus debet eum uolenter a morte eripere. Unde nec aliquis debet irrumperere ordinem iuris naturae, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet a periculo mortis aeternae.

Ad secundum dicendum, quod Iudei sunt serui Principum seruente ciuili: quae non excludit ordinem iuris naturalis uel diuini.

Ad tertium dicendum, quod homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam Deum cognoscere potest. Unde puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum cura naturaliter subiacer, & secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum diuina agenda.

Franc. Suarez Tom. 3.

De Baptismo paruulorum, & iure ac potestate baptizandi illos.

In hac dispositione prima omnium declaranda sunt amplius, & confirmanda duae conclusiones à D. Thoma traditae in art. 9. Deinde agendum erit de iure seruando in baptizandis his infantibus, quod D. Thom. tractat in art. 10. Nominè autem infantium in tota hac dispositione intelligimus omnes eos, qui rationis usum nunquam habuerunt, siue hoc sit propter defectum ætatis, siue propter aliud impedimentum, quale est in perpetuis amentibus: nam de utroque eadem ratio est, quantum ad negotium iustificationis pertinet.

SECTIO I.

Utrum homines ante usum rationis sint capaces Baptismi.

Piphanius, hæres. 67. & August. hæres. 47. referunt Hierachitas, quorum author Hierax fuit, negasse paruulos pertinere posse ad regnū cœlorum, quia non possunt habere uilla merita, quibus illud assequantur, nec possunt ullum certamen subire: Apostolus autem ait non fore coronandum, nisi qui legitime certauerit. Ex quo errore aperte consequi uidentur, hos infantes non esse capaces baptismi: quia si non sunt capaces effectus, cur erunt sacramenti? Apertius docuit hunc errorem Petrus Brusius, & quidam Henricus: à quibus orti sunt hæretici dicti Petrobrusiani, & Henriciani, ut meminit Bern. Epif. 240. & ser. 66. in Cant. & hos postea secuti sunt Anabaptistæ, ut uideri potest in Præcol. libr. 1. Elenchi, num. 35. & lib. 14. num. 18. Castro, Sanderò, & alijs. Fundamentum huius hæresis, præter supra insinuatam, sumi potest ex uerbis illis Christi, Matth. ult. Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. & illis Mar. ultim. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: nam ex his colligi uidentur, iuxta Christi institutionem & uoluntatem (à qua totum hoc negotium pendet) eos tantum esse capaces baptismi & salutis, qui sunt capaces doctrinæ & fidei: nam illa præcipit Christus præmitti ante baptismum: sicut ergo paruuli non sunt capaces doctrinæ & fidei, ita nec Baptismi. Addi præterea potest, quod ad Baptismum necessaria est intentio suscipientis: paruuli autem non sunt capaces huius intentionis.

Hierarchitas error, Epiph Augustina

Dico primo, homines post natiuitatem ex utero materno statim sunt capaces baptismi, etiam si rationis usum non habeant. Conclusio est de fide, quæ licet non sit in sacra scriptura expressa, possunt tamen ex illa varia argumenta sumi ad eam confirmandam. Actor enim 16. legimus baptizatum fuisse Lydiam & domum eius, & 1. ad Cor. 1. ait Paulus, se baptizasse Stephanæ domum: nomine autem domus, tota familia intelligi solet: in qua continentur etiam infantes. Et quamuis his locis non fiat eorum mentio, nec constat aliquos in illis familijs fuisse, satis tamen est esse potuisse, & locutiones scripturæ esse generales, ac neminem excludere. Nec dissimile argumentum sumitur ex ipsa institutione baptismi, & ex illis uerbis Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto. Quibus significatur, omnem hominem, qui tingi potest aqua, sub Spiritu sancti seu Trinitatis inuocatione, posse spiritualiter renasci, atque adeo esse capacem baptismi: ubi etiam ponderari solet, Christum passiuè potius quam actiue esse locutum: quia ad hanc natiuitatem spiritualem nulla est simpliciter necessaria humana actio (præsertim in his, qui non sunt capaces eius) sed sufficit passio, seu ablutio aquæ in uerbo uitæ.

1. Cæcylus. Homines statim à natiuitate ex utero sunt capaces baptismi. Primum argumentum.

Alterum argumentum ex scriptura sumitur de circumcissione, quæ fuit figura baptismi, ut dicitur ad Colof. scriptura.

Secundum argumentum ex Colof. scriptura.

Colof. 2. nam in lege veteri paruuli erant capaces circumcissionis, quatenus erat sacramentum legis veteris: multo ergo magis in lege noua erunt capaces baptisimi, qui circumcissioni successit: Nam lex gratiae benignior & vniuersalior est, & neminem excludit ab his beneficijs, quae sunt remedia ad salutem magis, quam lex vetus. Quo argumento vsus est Innoc. 3. ca. Maiores, de Baptismo, & ante illum Gregor. Nazian. oratio. 40. Quinimo in hoc generalior est baptisimi quam circumcissionis institutio: nam haec dari non poterat ante octauum post natiuitatem diem: ex quo aliqui tempore Cypriani inferebant, eandem regulam in Baptismo esse seruandam, quos merito ipse reprehendit epist. 59. quia lex gratiae neminem prorsus excludit, cui remedia eius applicari possint. Addit Cyprian. in circumcissione praecipuum esse expectare octauum diem, propter mysterium & significationem futurorum, quorum illa lex erat vmbra, hoc autem cessauit in lege gratiae, quae veritatem continet rerum, & ad iustificationem conferendam per se primo ac principaliter ordinatur. Addere etiam possumus: remedium circumcissionis fuisse difficile & acerbius, & ideo cautum esse, ne in tenerrima aetate ante octauum diem applicaretur: quae cautio in baptisinate non fuit necessaria: quoniam est facillimum remedium. Confirmare vero possumus, quia in lege naturae sacramentum omnibus infantibus etiam ante octauum diem applicari poterat, propter facilitatem & necessitatem eius. Vnde etiam in lege veteri, si ante octauum diem infans periclitaretur, non erat remedium desititutum, sed erat capax sacramenti legis naturae: ergo multo magis in lege noua omnes sunt capaces Baptisimi, per quem omnia antiqua remedia abolita sunt, vt infra videbimus.

Innoc. 3.  
Greg. Naz.  
Cyprian.

Primum  
argumentum  
est ex  
scriptura.

Vltimo ex scripturis colligi potest, infantes non esse incapaces salutis & gratiae: quod Epiphanius probat primo, exemplo Hieremiae (& idem est de Ioanne Baptista) quod tamen argumentum non est efficax: quia fundatur in specialibus priuilegijs: alioqui nimium probaret. Atque idem responderi posset ad exemplum, quod adducit de Martyribus innocentibus: quamquam hoc reuera efficacius est: nam licet sanctificatio illa per Martyrium ex priuilegio sit ipsi martyrio concessa, tamen hoc priuilegium est, non personale (vt sic dicam) sed generale, & ordinaria lege institutum, vnde si ab hac lege non excluduntur paruuli, non est cur excludantur a lege Baptisimi, vt incapaces salutis censentur. Deinde adducit verba illa Christi Matth. 19. & Mar. 10. Sinite paruulos venire ad me: talium enim est regnum caelorum. Nam licet August. 1. Colossens. c. 19. per paruulos ibi humiles intelligat, sensu videlicet, spiritali & mystico, tamen ad litteram sermo est de paruulis seu infantibus, vt dicitur Luc. 16. Hieronymus autem sua expositione hoc testimonium nobis eneruat, ponderans Christum non dixisse: Horum, sed talium, vt ostenderet (inquit) non aetatem regnare sed mores, & his, qui similem haberent innocentiam & simplicitatem premium repromitti. Et eodem modo eludi possunt plura alia testimonia, quae ibi congerit Epiphanius. vt est illud Sapient. 4. Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata, & aetas senectutis vita immaculata: & illud: Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius: & alia, quae ibi subiungit Sapiens: quae non est necesse intelligi de infante ante vsu rationis. Sed de his, qui in iuuentute decedunt, cum sint iusti. Nec videntur fortiora illa testimonia: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, & illud: Laudate pueri Dominum, & pueri Christo acclamabant: Benedictus, qui venit in nomine Domini, & illud: Custodiens paruulos Dominus, &c. quamquam haec omnia testimonia contemnenda non sunt: nam ex eis fati colligi videtur, nullam aetatem excludi a regno caelorum, cum Deo omnium miseretur: neque per Deum stare, quominus etiam hi paruuli saluari possint, cum ipsi per se Deo

non displaceant: nec ratione communis lapsus totius naturae, Deo sint magis iniusti, quam adulti. Denique Epiphanius, ponderans priora verba Christi, & quasi respondens obiectioni factae, addit: Ne solum paruorum esse intelligeretur regnum caelorum, & non omnium aetatis, ab ipsis quidem initium facit: his vero, qui similes ipsorum sunt, largitus est, vt cum ipsis habeant hereditatem. Si enim hi, qui secundum ipsos sunt, habent regnum: quanto magis illi, qui exemplaria sunt eorum, qui secundum ipsos sunt?

Secundo principaliter probatur haec veritas ex vniuersali consensu & definitione Ecclesiae. Nam quod vniuersa Ecclesia Catholica ita nunc in Baptismo paruulorum sentiat, satis ex re ipsa constat: quod vero ita semper fuerit ab initio Ecclesiae, praeter citatos Patres, Cyprian. Nazian. Epiphanius & alios, quos sequenti sectione referam, a perspicue constat ex Augustino, qui in omnibus ferelibrijs contra Pelagianos, inde probat, esse in nobis peccatum originale, quod iuxta Ecclesiae morem, etiam paruuli baptizantur in remedium peccati. Ita habetur de Peccat. merit. cap. 26. vbi dicit, traditionem hanc a Domino per Apostolos mansisse. Idem lib. 3. c. 5. vbi late tractat supra citatum testimonium Cypriani: idem lib. 4. de Baptismo, cap. 24. & lib. 2. de Nuptijs, c. 17. & lib. 10. Genes. ad lit. cap. 23. & epist. 23. 28. 57. 105. in fine, 100. per totam & 107. post medium. Et ita etiam desinuerunt tempore Augustini Concil. Mileuit. cap. 2. & postea Concil. Africanum, Can. 76. & habetur in ca. Placuit, de Consecrat. dist. 4. & Concil. Lateran. sub Innocent. 3. in cap. Maiores, de Baptismo, Concil. Viennense, cum Clem. V. in Clement. 1. §. de Natiuitate. Trinit. & hinc Cathol. Trident. sess. 5. in Decreto, de peccato origi. cap. 4. & sess. 4. Can. 12. & 13. Atque idem supponitur in quodam Decreto Concil. Niceni, quod refertur in cap. Ecclesijs, 68. distinct. & in Concil. Brachar. 2. Can. 7. quod habetur in cap. Placuit, 1. quaestio. 1. Idem denique antiquissimi Pontifices desinuerunt, Innocent. 1. epist. 26. Syricus epist. 1. ca. 2. Leo epist. 86. c. 3.

Vltimo est optima ratio Diui Thomae sumpta ex comparatione, atque excessu gratiae Christi ad peccatum originale ex Adamo contractum: ex qua sumitur optima coniectura, seu congruentia institutionis: tamen ratio a priori in ipsa institutione & voluntate Christi posita est. Perinuit etiam hoc ad copiosam redemptionem eius, & sufficientissimam providentiam, qua omnibus hominibus abundanter prouidit, vnicuique iuxta capacitatem suam. Item, quia sepe infantes extreme indigent aliquo remedio, ne pereant: est autem certum, nullum aliud illis prodelle posse, secluso martyrio, vt infra videbimus, nec vero diuinam misericordiam decebat, eos sine hoc remedio relinquere: cur enim, qui sine actu proprio per Adamum damnati sunt, non poterunt etiam sine actu proprio per Christum saluari?

Dico secundo, vt infantes sint capaces Baptisimi, non est eis necessaria intentio suscipiendi Baptisimum, nec propria, nec parentum, vel alterius: sed sufficienti illis voluntas Christi. Haec conclusio est communis, & mihi videtur certa, quamuis non aequaliter, quoad vtramque partem. Prior ergo pars est contra quosdam haereticos huius temporis, qui fingunt, paruulis omnibus, vt baptizari & saluari possint, diuinitus accelerari vsu rationis, vt & credere possint, & velle baptizari. Ita referunt Richar. art. 1. contra Vicleph. & Soto, 2. de natura & gratia, cap. 10. & Bellarmin. libro 1. de Baptismo, capite 10. Sed hic error summa leuitate confictus est, sine ulla auctoritate, & contra omnem experientiam. Paruuli enim non sunt capaces per se naturaliiter huiusmodi cognitionis ac liberi consensus: fingere autem miraculum, praesertim ordinaria lege omnibus concessum, est voluntarium figmentum. Rursum experientia constat, hos paruulos, cum baptizantur, moribus &

Secundum  
argumentum  
est ex  
capite  
Augustini.

Conc. M.  
le. African.  
Lateran.  
Prin. Trid.  
Nican.

Primum  
argumentum  
est ex  
capite  
Augustini.

Quarta  
damque  
rationem  
testimonium  
paruulorum  
est ex  
mentem  
Richardus  
sunt, & velle  
baptizari. Ita  
referunt Richar.  
art. 1. contra  
Vicleph. & Soto,  
2. de natura &  
gratia, cap. 10.  
& Bellarmin. libro  
1. de Baptismo,  
capite 10. Sed  
hic error summa  
leuitate confictus  
est, sine ulla  
auctoritate, &  
contra omnem  
experientiam.  
Paruuli enim  
non sunt capaces  
per se naturaliiter  
huiusmodi  
cognitionis ac  
liberi consensus:  
fingere autem  
miraculum,  
praesertim  
ordinaria lege  
omnibus  
concessum, est  
voluntarium  
figmentum.  
Rursum  
experientia  
constat, hos  
paruulos, cum  
baptizantur,  
moribus &

Aug.

bus & signis, prout possunt, repugnare Baptismo, fati-  
scip indicare, se non intelligere, quid circa illos fiat,  
neque in actionem illam voluntarie consentire: ita  
fere argumentatur Augustinus, qui hunc errorem  
antequam exortus esset, impugnavit, epist. 23. & 106.  
& 21. de Civ. Dei, cap. 16. & lib. 22. c. 22. & lib. 1. de pec-  
cat. mer. cap. 25. 33. & sequentibus, & tracta. 80. in  
Ioan. vbi dicit: Verbum fidei tantum valere in Eccle-  
sia Dei, vt mundet infantem, nondum valentem corde  
credere, & ore confiteri. Ex his ergo satis probata  
est illa prior conclusionis pars: nam de facto Baptis-  
mus proficitur in paruulis sine propria eorum vo-  
luntate & consensu: ergo talis consensus vel intentio  
non est necessaria, vt sint capaces Baptismi. Item,  
Christus prouidit vnicuique iuxta capacitatem eius:  
ergo cum paruulus non sit capax propriæ intentionis  
absque miraculo, non est verisimile Christum fec-  
undum ordinariam legem huiusmodi eorum con-  
sensum postulasse. Denique hic habet locum ratio D.  
Thomæ: quia infantibus applicatur (vt sic dicam)  
originale peccatum absque eorum consensu: ergo et-  
iam potest applicari meritum Christi: ergo vt rege-  
nerentur in Christo per Baptismum, non est necessa-  
ria propria eorum intentio. Neque in hoc valet argu-  
mentum à simili de adultis: quia, vt saepe dictum est,  
Deus vnicuique prouidet iuxta capacitatem eius: &  
ideo aliter adultum, quam infantem iustificat: cum  
ergo Baptismus ad primam iustificationem ordinetur,  
aliam conditionem in arduo requirit, quam in  
paruulo: quod etiam in circumcissione & in sacra-  
mento legis naturæ semper locum habuit, vt in supe-  
rioribus visum est.

D. Thom.

Posterior pars conclusionis est contra quosdam  
Scholasticos, qui dixerunt: in his infantibus, vt Ba-  
ptismus sit validus, necessariam esse voluntatem pa-  
rentum suorum vel aliorum, quorum curæ commissi  
sunt: quia quamdiu infans non habet propriam  
voluntatem, voluntas parentum reputatur voluntas  
eius, & ideo necesse est, vt saltem per voluntatem pa-  
rentum intendat baptizari. Ita sentiunt Durand. in 4.  
dist. 4. q. 7. nu. 13. & Palud. q. 4. n. 33. Catharin. in opu-  
sculo de infantibus Iudeorum baptizandis: qui in par-  
ticulari loquuntur de filiis infidelium, quos existimant  
non manere baptizatos, si contra voluntatem paren-  
tum baptizentur. Fortasse tamen non idem dicerent  
de filiis Christianorum: quia hi magis videntur esse  
sub cura pastorum Ecclesiæ, & ideo forte dicerent,  
posse illis prodesse intentionem Ecclesiæ, vel pasto-  
rum eius, etiam si decideret voluntas carnalium pa-  
rentum. Hæc tamen sententia falsa est, & conclusio  
posita, est communior Theologorum, D. Th. Soti, &  
aliorum, quos in seq. sequentibus referemus: & su-  
mitur ex Augustino epist. 23. vbi ait, esse validum Ba-  
ptismum illorum infantium, quos parentes infide-  
lium offerunt baptizandos, etiam si ipsi non inten-  
dant, vt ad vitam regenerentur æternam, sed vt sani-  
tatem aut aliquod temporale commodum accipiant.  
Non enim (inquit) illi non regenerantur, quia non ab  
eis hac intentione offeruntur: celebrantur enim per  
eos necessaria ministeria, & infra, Offeruntur quippe  
paruuli ad recipiendam spirituales gratiam non tã  
ab ipsis, quorum gestantur manibus (quamuis & ab  
illis si fideles sint) quam ab vniuersa societate Sãcto-  
rum, atq; fidelium: & infra: Illud autem nolo te, fal-  
lat, vt existimes, reatus vinculum ab Adam tractum  
aliter non posse dirumpi, nisi paruuli ad recipien-  
dam Christi gratiam à parentibus offerantur: & post-  
ea subdit exempla, quibus confirmat, Baptismum  
posse esse validum sine voluntate parentum. Atque  
idem est, etiam si addit contraria voluntas: nam hoc  
ipso, quod voluntarius consensus parentis non est  
necessarius, vt Baptismus sit validus, non potest con-  
trarius dissensus obstat, quin Baptismus datus vali-  
dus sit, quia, eo dissensu non obstante, possunt appli-  
cari omnia ministeria, vt Augustinus dicit.

Franc. Suarez Tom. 3.

Conclusio  
probatur.

Ratio autem conclusionis est, quia nulla est au-  
thoritas vel traditio, propter quam asseramus Chri-  
stum in institutione Baptismi voluisse, hanc inten-  
tionem parentum respectu filiorum esse simpliciter  
necessariam: quin potius oppositum colligi potest ex  
vsu Ecclesiæ, quæ nunquam permittit Baptismum ite-  
rari propter hunc solum defectum. Neque etiam est  
ratio vlla, ob quam fuerit baptismus hoc modo in-  
stituendus: nam sicut paruulus contrahit originale  
peccatum absque consensu proximi parentis per so-  
lum Adæ consensum, ita poterit iustitiam Christi par-  
ticipare per voluntatem Christi, & media ab eo in-  
stituta sine voluntate proprii parentis. Præterea, quia  
in ordine ad spiritualia, & salutem animæ, non sem-  
per voluntas parentis reputatur voluntas filij: alias  
sicut ad valorem Baptismi dicitur necessaria volun-  
tas Baptismi in parente, ita ad effectum Baptismi si-  
militer exigenda esset in parente voluntas credendi,  
vt per eam voluntatem & fidem, dicitur filius crede-  
re: atque ita filij infidelium saluari non possent. Imo  
etiam si eis daretur Baptismus valide, parentibus cõ-  
sentientibus, posset in eis non habere effectum, pa-  
rentibus non credentibus. Atque paritatio è cõ-  
trario sequitur, si paruulus re ipsa baptizari non pos-  
sit, ei posse prodesse ad salutem, voluntatem & dispo-  
sitionem parentum, quæ reputatur voluntas eorum:  
quæ omnia sunt falsa & absurda, non ergo in his, quæ  
ad animam spectant, voluntas patris reputatur vo-  
luntas filij: sed in his solum, quæ pertinent ad natura-  
le ius, quod pater habet in filium, cuius curæ com-  
missus est, vt ab eo educetur & instruat. Et hac de  
causâ, etiam si parens offerat filium falso Deo, nihil  
illi nocet: & è contrario, quod parens sit baptizatus &  
iustus, rectamque habeat voluntatem, per se non suf-  
ficit ad liberandum filium à peccato: quia in his om-  
nibus voluntas parentis est propria & personalis:  
quamuis valere possit ad impetrandum à Deo ali-  
quod bonum filio.

Deinde argumentum à simili supra insinuatum  
contra Durandum & Paludanum, non est satis solu-  
tum. Sequitur enim, filium hominis baptizati hære-  
tici vel schismatici, & c. si baptizetur contra volun-  
tatem parentis, non manere baptizatum: quandoqui-  
dem voluntas parentis dicitur simpliciter necessaria,  
vt filius infans sit capax Baptismi. Neque enim satis  
est dicere, hanc voluntatem veluti translata esse in  
Ecclesiã, & pastores eius: tum quia fieri potest, vt  
Ecclesiã nolit, sed potius prohibeat huiusmodi in-  
fantem baptizari, inuito parente, & tamen si ab ali-  
quo priuata autoritate baptizetur, vere ac valide  
baptizatus erit, ac reputabitur: tum etiam, quia illud  
gratis dici videtur, & non satis consequenter. Nam  
licet interdum Ecclesiã habeat ius baptizandi ali-  
quem adultum, vel cogendi illum ad Baptismum,  
vt in aliquibus casibus accidere potest, si tamen re-  
ipsa adultus non consentit, quamuis Ecclesiã iure suo  
vtatur, nihilominus Baptismus non erit validus: ergo  
similiter, quamuis Ecclesiã habeat ius baptizandi  
hos infantes, si tamen parentes non consentiunt, Ba-  
ptismus non erit validus: quia iuxta hanc senten-  
tiam voluntas patris talis existimatur, respectu  
filij, sicut voluntas propria, respectu adulti. Tandem  
non fuit expediens, vt Christus institueret hunc Ba-  
ptismum infantium ita pendentem à voluntate seu  
intentione parentum: tum quia saepe est necessa-  
rium, aut valde expediens, non expectare consen-  
sum parentis ad baptizandum filium extreme peri-  
clitantes, vt infra videbimus: tum etiam, quia saepe  
parentes sunt incerti vel occulti: saepe etiam non sa-  
tis constare potest de voluntate parentis, quæ inter-  
dum potest esse ficta & fallax, & alioqui nulla erat  
causâ sufficiens ad hunc institutionis modum, vt de-  
claratum est.

Ad fundamentum erroris contrarij, omisso erro-  
re Lutheranorum iam impugnato, de actuali fide  
horum erroris com-

variis  
re-  
ponitur.

horum infantium, dicendum est, Christum in illis verbis: Docere omnes gentes, non tantum proposuisse id, quod simpliciter necessarium est ad valorem baptismi, sed quod erat necessarium ad Ecclesiae propagationem & promulgationem Euangelij, quodque in his, qui capaces sunt, oportet fieri, ut convenienter sint dispositi ad Baptismum & effectum eius suscipiendum. Vnde ulterius dicitur, tam haec verba, quam illa, Qui crediderit & baptizatus fuerit: dicta esse de adultis, ut exponit Innoc. 3. in c. Maiores, de Baptismo: non tamen propterea excluduntur paruuli: sed fit specialis mentio adulatorum, quia illis praedicandum erat Euangelium, ut illi conuertentur & ad Ecclesiam venirent, secumque suos infantes afferrent.

Innoc. 3.

August.

Propter quam causam dicit August. hos infantes credere per eos, per quos ad baptismum offeruntur, & lib. 3. de liber. arb. cap. 23. ait, fidem offerentium prodesse paruulis: non quidem per modum necessariae dispositionis, sed quia per eam fit, ut eis applicetur sacramentum fidei, ut ipse explicat serm. 10. de verbis Apostoli, & serm. 14. post medium. Vnde etiam dici possunt huiusmodi infantes credere, non actu interno fidei, sed ipso opere, & susceptione Baptismi: ita ut credere eis nihil aliud sit, quam fidem Christi opere ipso in Baptismo profiteri. Atque ad eum modum dicuntur saluari in fide parentum, sicut supra vidimus agentes de statu legis naturae. Et eodem modo loquuntur de nostris infantibus baptizatis Dionys. Iustin. Prosp. & Bernard. locis sect. seq. citandis: nam per fidem parentum intelligenda est non interior, & (ut ita dicam) personalis fides eorum, sed ipsa exterior fidei professio, quam parentes vel profitentur, vel profiteri debent. Tandem dicuntur hi paruuli credere, non actu, sed habitu: quae fides non antecedit Baptismum, sed per eum infunditur. Ita Innoc. 3. d. c. Maiores, & propterea Conc. Trid. definit, hos infantes esse proprie Christianos & fideles, & August. 1. de Pecc. merit. cap. 33. Inter fideles (inquit) computantur & credere dicuntur: quia hoc eis acquiritur per Baptismi sacramentum.

Dionys.  
Iustin.  
Prosp.  
Bernard.

Conc. Trid.  
August.

## SECTIO II.

*Utrum expediat baptizare infantes Christianorum filios ante rationis usum.*

Quia non omnia quae fieri possunt valide, licent aut expedire: ideo non satis est, ostendisse, posse paruulos baptizari, nisi etiam declarem, an id liceat, vel expediat. Et quoniam valde diuersa ratio est de filijs infidelium & Christianorum, ideo de his prius dicemus, postea de reliquis. Fuit ergo quorundam haereticorum sententia, non expedire, hos infantes baptizare ante annos discretionis. Ita sentiunt Lutherani, ut moderni authores referunt. Et in eundem errorem inclinat Ludouicus Viues in scholijs ad Augustinum, 1. de Cit. Dei, c. 27. eademque fauet Erasmus, qui praefatione in Matth. dixit, si in infantia aliqui baptizentur, cum peruenerint ad usum rationis, dandam eis esse liberam facultatem, ut vel in religione Christiana permaneat, vel, si malint, aliam eligant. Et hinc potest sumi fundamentum huius erroris: quia nemo, cum incipit ratione uti, cogendus est, ut in Christum credat: nam fides debet esse maxime libera & spontanea: ergo etiam filij Christianorum non sunt hac libertate priuandi: ergo non expedit eos ante rationis usum baptizare: quia vel postea cogendi sunt credere, & in Catholica Ecclesia permanere, quod est contra libertatem Christianam, vel: si hac libertas violanda non est, Baptismus & character eius exponuntur periculo, ut indigne tractentur & contemnantur.

Fundamentum.

1. Conclusio.

Dico primo, non solum est licitum, verum etiam magis expediens, hos infantes baptizare antequam possint ipsi libere consentire. Est conclusio certa de Conc. Trid. fide, tradita in Triden. sess. 7. Can. 13. de Baptism. vbi

anathematis datur eum, qui dixerit, praestare omitti eorum baptismum, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae. Fundamentum praecipuum sumitur ex Ecclesiae consuetudine: nam quod vniuersa Ecclesia seruat, semperque seruauit in his, quae ad animarum salutem spectant, non solum licitum est (cum errare non possit in moribus: regitur enim a Spiritu sancto, qui non permittit eam errare in re tam graui) verum etiam valde expediens. Imo etiam si solum humanam auctoritatem spectemus, est incredibile, esse deceptos tot sanctos & sapientissimos viros, qui in omni aetate & in omnimodo huiusmodi consuetudinem conuenientem, & utilitatis infidelium maxime opportunam semper iudicauerunt. Sed quod vniuersa Ecclesia ita nunc sentiat, ex ipso usu satis patet. Quod vero semper idem senserit, constat ex veterum testimonijs. Clemens lib. 6. Constit. 15. sic inquit, Baptizate paruulos vestros, & educate eos in disciplina & praecipis Dei. Dionys. c. 7. de Eccles. Hierar. alias 12. part. 3. circa finem, contrarij erroris mentionem facit, eiusque sectatores grauius reprehendit his verbis: Pueros vero, etiam qui nondum diuina mysteria intelligere possunt, diuini ortus participes fieri, sanctissimorumque diuinae societatis signorum, videtur quidem, ut ais, non sanatis hominibus, & a religione nostra abhorrentibus merito risu dignissimum, si eos, qui audire non possunt diuina, Pontifices docent: & non intelligentibus frustra ea, quae sancte tradita acceperunt, tradunt. Est post multa. Hoc quoque de hac re dicimus, quod senserit nostri Pontifices a veteribus acceptum nobis tradiderunt. Aiunt enim, id quod etiam verum est, pueros si in sancto instituto ac lege instituantur, ad sanctam animi constitutionem peruenturos esse ab omni errore solutos ac liberos, & sine vilo vitae impurae periculo. Quod postea latius profequitur, declarans, quanta his infantibus utilitas ex baptismo proueniat, & quomodo per sponsores, eorum ignorantiae, atque impotentiae Ecclesia subueniat. Vnde Chrysost. tom. 1. homil. de Adam & Eva, (si illius est) Praedicat (inquit) Ecclesia Catholica vbi que diffusa, debere baptizari paruulos propter originale peccatum, & tom. 5. ad Neophytos: Hac (inquit) de causa etiam infantulos baptizamus, ut non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, ut eius membra sint omnes, ut Spiritus habitatio fiant. Hanc etiam esse Apostolicam traditionem dixit, Orig. lib. 5. in ad Roman. circa illa verba, c. 6. Qui mortuus est, iustificatus est a peccato. De qua eleganter etiam scribit Hieronym. allegans Cyprian. & August. lib. 3. contra Pelag. in vltimis verbis, & Prosper 2. de uocatione gentium, c. 8. & Greg. libro 7. Reg. epist. 57. & in Respon. ad August. Respon. 10. Optime Gregor. Nazian. oratione 40. §. Omnes aetatum gradus attingit, inter alia, inquit, Infans tibi est, ne occasionem improbitas arripiat, ab infantia sanctificetur: ab ipsis vniuersis Spiritui consecratur, sic etiam dixit Basilius, Homil. 13. ex varijs: nullam aetate non esse opportunam suscipiendo baptismo. Quam sententiam habet etiam Irenaeus, li. 2. contra haereticos, c. 19. expresse nominans: Infantes, paruulos, pueros, & iuuenes, seniores. Multa etiam de hac re scribit Bernard. epistol. 77. 240. & sermone 66. in Cantic. Atque hoc etiam confirmant omnia, quae ex Pontificibus & Concilijs praecedenti sectione adduximus. Nam illa non solum explicat potestatem, sed etiam usum, & Ecclesiae consuetudinem declarant. Ratio vero huius assertionis est: nam in primis constat hoc esse licitum, eum nec per se, & ex obiecto sit intrinsece malum: neque etiam sit iure positio prohibita. Primum patet, quia haec actio non habet prauum obiectum, cum nec sit iniuriosa proximo, sed potius utilissima, ut dicemus: nec sacramento, cum detur homini capaci & non indigno: nec Christo aut Deo, cum cedat potius in honorem eius & religionis augmentum, & animarum

marum salutem. Secundum patet, quia tale ius potestium, neq; diuinum, neq; humanum est: neutrum enim scriptum est, aut traditum, neque ab aliquo ostendi poterit.

Rursus, supposita actus honestate, facile est intelligere conuenientiam eius, supponendo, quod certissimum est, Baptismum dare infantibus suum effectum, vt affirmant Patres omnes nuper citati, & expressse Iulianus, q. 6. s. 6. ad Gent. & sentit Damasc. lib. 4. c. 10. & ratione patet: quia omne sacramentum confert suum effectum non ponenti obicem: infantes autem neque ponunt, neque possunt ponere obicem, vt per se colat: recipiunt ergo sacramenti effectum: est ergo eis velissimus Baptismus: liberantur enim a potestate diaboli: sunt Christi & Ecclesie membra: praeueniuntur, ne repentinis & inopinatis casibus obruantur, ac perpetuo pereant: armantur aduersus demonis tentationes: ac denique disponuntur, vt firmiter ac stabiliter illis adhareat religio: ergo ex parte ipsorum infantium est maxime conueniens haec actio: nec in hoc laeditur eorum libertas, sed perficitur potius ac liberatur. Atque ideo etiam ex parte sacramenti, non est cur impediatur haec actio: differri quia tenentur paruuli, cum ad annos discretionis peruenerunt, in religione, quam professi sunt, perseuerare: & ad hoc merito cogi possunt, non minus quam si in adulta etate essent baptizati, vt dicemus. Et quamuis negare non possit, quin, ceteris paribus, perfectior modus sanctificationis & susceptionis baptismi sit per proprium consensum propriamque dispositionem: tamen hoc solum habet locum supposita capacitate, tamen propter alias causas maioris momenti non expedit, illam capacitatem expectare: sed melius est prius sanctificari modo illi etate accommodato, & postea per propriam dispositionem ac meritum in sanctitate crescere, ac confirmari.

Sed quares, an baptizare hos infantes non solum liceat, & expedit, verum etiam praeceptum sit. Respondetur primum, si necessitas urgeat, ita vt infans sit in probabili mortis periculo: certum est hoc esse in praecepto: tum ex generali lege charitatis, qua tenetur subuenire proximis extreme indigentibus, praesertim in spirituali necessitate: tum ex lege pietatis, qua parentes tenentur filiis prouidere: tum etiam ex lege iustitiae respectu pastorum Ecclesiae, qui ex officio tenentur, sacramenta subditis ministrare temporibus opportunis, & praesertim in necessitatis articulo. Neque in hoc videtur esse vlla dubitandi ratio: quin potius Tertullia. libro de Baptif. capit. 18. existimat, in hoc solo articulo esse paruulos baptizandos: Nam si necessitas non urgeat, conuenientius indicat annos discretionis expectare: Ne sponsores (inquit) qui pro baptizato promittunt periculo se exponant, non implendi, quod promittunt, propter varias causas, quae in infantia occurrere possunt. Sed in hoc, vt in aliis, grauius errauit Tertullianus, vt probatum est. Nec incommodum illud, quod affert, est alicuius momenti: nam satis est, quod sponsor id praestet, quod commode poterit: quod si ipse defecerit, ad Ecclesiae pastores pertinet instruere infantem, aut aliquem prouidere, qui hoc munus in se suscipiat.

Deinde addendum est, extra casum necessitatis nullum extare diuinum praeceptum, quod obliget ad baptizandos hos infantes filios Christianorum ante vsum rationis. Neque enim scriptura vel traditione ostendi potest de hac re positium praeceptum, neque etiam est naturale, quod ex aliis principijs fidei necessario sequatur. Dices ipsa quotidiana necessitas, & morale periculum, quod est in illa tenera etate, videtur esse sufficiens causa, vt ex vi institutionis Baptismi orta sit haec obligatio. Respondetur, hanc quidem rationem ostendere rem esse valde conuenientem: non tamen simpliciter necessariam: quia illa necessitas non est tanta, vt ex illa oriatur morale peri-

culum moriendi sine Baptismo: praecipue cum hoc sacramentum possit tanta facilitate administrari, vt rarissime possit euenire casus, in quo moraliter, ob acceleratam infantis mortem dari non possit. Quin potius Greg. Naz. d. orat. 40. significat, in necessitate quidem baptizandum esse infantem sine vlla mora: tamen extra illam expectandum esse triennij tempus, vt per se possit infans aliquo modo respondere & annuere. Hoc autem Nazianzeni arbitrium, habuit fortasse sua etate locum, nunc vero seruandum non est, nec per se loquendo, potuit vnquam esse necessarium, aut expediens. Quia si triennium expectandum esset, melius esset vsque ad rationis usum expectare. nam alias quid refert illa dilatio vsque ad tertium annum? aut quid interest verbis respondere, si mens non concipit, neque intelligere valet, ita vt credat & libere consentiat? sane neque ad suscipiens commodum, neque ad sacramenti reuerentiam hoc vtile est, & alioqui maius infantium periculum est in etate tenuiori.

Vltimo ergo addendum est, Ecclesiastico iure necessarium esse baptizare hos infantes esse vsum rationis. Et si enim de hac re non inuenio ius canonicum, quod scriptum sit, tamen recepta Ecclesiae consuetudo sufficiens videtur ad hoc ius introducendum: cuius indicium esse potest, quod si quis fidelium vellet contra hanc consuetudinem agere, magnum scandalum in alijs generaret, nisi euident aliqua necessitas ad Baptismum differendum cogeret. Quocirca, & pastores Ecclesiae tenentur adhibere curam, vt hi paruuli mature baptizentur, & parentes etiam tenentur eos ad Baptismum offerre. Quod si ipsi negligentes sint, vel etiam si sint inuiti, pastores Ecclesiae eos debent obligare & cogere: vel, si opus sit, etiam ipsi inuitis filios baptizare: quia neque horum consensu est simpliciter ad baptismum necessarius, vt dixi, neque habent ius differendi filiorum Baptismum contra legem, seu consuetudinem Ecclesiae.

Sed quares tandem, pro quo tempore urgeat haec obligatio. Respondetur in primis, expectandum esse, vt infans sit perfecte natus ex vtero matris: nam qui omnino natus non est, ita vt aqua contingi non possit, nullo modo baptizari potest, quia vt recte dixit August. lib. 6. contra Iulian. c. 5. nec per se abluui potest, vt per se constat, nec per matrem, cum reuera sit persona ab illa distincta, & animam habeat propria & distincta peccati macula affectam. Qui vero nasci incepit, baptizari integre non debet, donec integre ac perfecte nascatur: quia ordinarie non renascitur, nisi qui iam semel natus est, vt August. dixit epist. 57. Hoc autem intelligendum est extra casum necessitatis: tunc enim & ad reuerentiam sacramenti, & ad corporale commodum ipsius infantis pertinet, vt aliquantulum differatur Baptismus, & commodius tempus expectetur. Propter necessitatem vero baptizari potest & debet infans ante perfectam natiuitatem ex vtero, vt dicemus in Commentario arti. 11. vbi exponemus, quid tunc temporis agendum sit. Post perfectam vero natiuitatem corporalem, non potest certior regula assignari, quam vt Baptismus non nimium differatur sine causa contra Ecclesiae consuetudinem: quanta vero possit esse dilatio, & quando sit nimia censenda, prudentis arbitrio relinquendum est.

Ad fundamentum contrarij erroris iam fere responsum est: diximus enim nihil esse periculi, quoniam huiusmodi baptizati infantes, cum ad annos discretionis peruenerunt, non sunt amplius suo arbitrio relinquendi, sed obligandi sunt, & cogendi ad perseuerandum in religione suscepta, vt Concilium Tridentinum definit supra Canone 14. & latius in materia de fide ostenditur: quia per Baptismum hoc ius Ecclesiae acquirunt, quod potuit Christus ei da. Ccc. Trid. re: ac merito dedit, vt ex ipso vsu & traditione constat: quia necessarium erat, vt & hominem necesi-

Greg. Naz.

Ecclesiastico iure necessarium est pueros baptizare ante vsum rationis.

Aliud dubium respondeatur.



tati subueniretur, & sacramenta, ac religio Christiana debito honore tractarentur. Neque in hoc fit iniuria infanti: tum quia hoc ipso, quod ex Christianis nascitur, ipso iure natiuitatis est subditus Ecclesiae, sicut filius ancillae est seruus, filius Hispani est subditus regi Hispaniae: tum maxime, quia totum hoc negotium cedit in bonum & maximam utilitatem ipsius infantis, & re ipsa nullum fere nouum pondus illi imponitur: nam iure diuino tenetur, cum ad usum rationis peruenerit Christi fidem profiteri, & eius praecipis obedire: quod autem speciali modo subdatur Ecclesiae, reuera potius est commodum, quam onus, ex quo maiorem gratiam, maiusque auxilium consequitur ad id praestandum, quod iure tenetur.

SECTIO III.

*Verum liceat, infantes infidelium filios baptizare, parentibus inuitis, quando parentes nullo modo sunt Ecclesiae subditi.*

*Titulus explicatur.*

Postquam dictum est de filiis Christianorum, dicendum sequitur de filiis infidelium. Et est sermo de solis infantibus: nam adulti, ut diximus, sunt in hoc negotio iuris sui: & ideo neque quoad factum, neque quoad ius, pendunt in eo a voluntate parentum. Infantium vero Baptismus, quamuis non pendeat, quoad factum, seu, ut datus teneat: pendere tamen potest, quoad ius dandi, id est, ut iuste & licite detur, & hoc est, quod inquirimus: loquor autem in titulo huius sectionis de infidelibus, qui nullo modo sunt Ecclesiae subditi. Est enim considerandum, quosdam esse infideles, subditos Ecclesiae directe, ratione potestatis & iurisdictionis spiritualis, huiusmodi sunt omnes apostatae, qui post susceptum Baptismum defecerunt a fide, siue in haeresim inciderint, siue in Iudaismum, aut Paganismum declinauerint: & de his nulla est controuersia, quin Ecclesia habeat ius baptizandi eorum infantes, etiam si parentes renitentur. Nam ipsos etiam parentes potest ad fidem seruadam cogere, & poena etiam mortis afficere, si pertinaces sint, multo ergo magis potest eos priuare potestate, quam in filios suos habent. Praeterquam quod, ut supra ostensum est, ex vi natiuitatis, ex parentibus baptizatis, & subditis Ecclesiae, habet eadem Ecclesia ius & potestatem directam in ipsos filios, ut eos initiare possit, & in religione instituere. Alij vero sunt infideles, qui nunquam baptizati fuerunt, qui non sunt directe subditi spirituali iurisdictioni Ecclesiae, & hi sunt in duplici differentia: quidam sunt subditi Ecclesiae, seu principibus Christianis, quoad iurisdictionem seu dominium temporale, de quibus dicturi sumus sectione sequenti. Alij vero sunt, qui nullo modo, nec spiritualiter, nec temporaliter subiiciuntur Ecclesiae, de quibus est praesens dubitatio. In qua nonnulli Theologi affirmant, per se loquendo, posse Ecclesiam baptizare hos infantes sine consensu parentum, imo illis etiam inuitis. Haec sententia solet tribui Scoto in 4. d. 4. q. 9. sed ibi hoc non docet. Non enim loquitur de his infidelibus, sed de aliis subditis, Christianis principibus, de quibus etiam loquuntur Durand. & Gabr. ut postea dicemus: vnde nullum Theologorum inuenio, qui expresse hanc sententiam doceat: si qui tamen sunt, qui existiment huiusmodi infideles posse cogi, vel ad suscipiendam nostram fidem, vel saltem ad emendandos errores, & tollenda vitia legi & rationi naturali contraria, & ad fidem audiendam, & non impediendum eos, qui conuerti velint, hi consequenter dicent, posse iuste baptizari hos infantes, inuitis parentibus: sed de illa sententia, eiusque salitate non est hic dicendi locus: habet enim proprium in 2. 2. quaestio. 10. ubi interim videri possunt interpretes, & reliqui Scholastici in 4. distinctione 4. 5. & 6. & Genes. Sepulch. lib. 7. Polit. cap. 2. & Greg.

*Duplex infidelium conditio.*

*Quorunda Theologo- rum sententia.*

Lup. Partit. 2. tit. 23. leg. 3. qui duo authores singulari illam sententiam defendunt. Quod vero ad praesentem rem spectat, potest haec sententia fundari duj licet via. Prima est, quia Ecclesia videtur ad hoc habere potestatem directam. Potuit enim Christus illam dare, ut per se notum est, nam maius & excellentius dominium habet in quocumque infantes, quam habeant parentes. Et videtur dedisse: nam verba eius generalia sunt, Docete omnes gentes, baptizates eos. Nam sicut Christus instituit, ut baptismus esset medium necessarium etiam his infantibus, ita etiam praecipit, eos baptizari: sicut ergo praecipit generale est, ita & potestas baptizandi: ergo quamuis parentes resistant, possunt filij baptizari: nam in hoc ipsi faciunt contra Christi praecipium, & contra potestatem Ecclesiae datam: Vnde in hoc illi irrogatur iniuria: ergo merentur ipsi priuari potestate, quam habent in filios. Et confirmatur. Nam in lege naturae poterat quicumque fidelis offerre Deo alienum infantem, eius remedium contra originale peccatum applicare, inuito parente: ergo hoc ius translatum nunc est in Ecclesiam: alias nunc essent deterioris conditionis huiusmodi infantes.

Secundum fundamentum esse potest, quia saltem indirecte videtur habere Ecclesia hanc potestatem ipso iure naturae: quia potestas defendendi innocentes, omnibus est iura naturae concessa: sed hi infantes sunt innocentes & infirmi, & summam iniuriam a parentibus patiuntur, & maximum detrimentum: ergo licet eos defendere, & hos iure eos eripere, si opus fuerit, de potestate parentum, ut seculi baptizetur. Et confirmatur primo, nam parentes accipiunt potestatem in filios, ut eos in pietate instruant, & veri Dei cultu: sed ipsi abutuntur hac potestate contra Dei honorem, & contra filiorum salutem. Non est ergo cur hoc ius eis seruetur: ergo, non obstante hoc iure, possunt baptizari, inuitis parentibus. Confirmatur secundo, quia si parens vellet interficere filium, iure possemus illum cogere, ne id faciat, quia abutitur naturali iure, quod in illum habet: ergo multo magis hoc licet, si morem illi spiritualem procuret, dum non permittit illum baptizari.

Nihilominus dicendum est: non posse hos infantes iure baptizari, inuitis parentibus, neque priuata autoritate, neque publica. Haec est sententia D. Th. hic, & 2. 2. q. 10. artic. 12. quam sequuntur omnes eius discipuli utroque loco. Caiet. Capr. Palu. Sor. d. 5. Richard. d. 6. ar. 3. q. 3. Marfil. in 4. q. 4. art. 4. Anton. 2. p. tit. 12. c. 2. §. 4. Ut fundetur haec conclusio supponendum est, huiusmodi infideles non posse iuste cogi ad suscipiendam fidem per bellum, aut iniuriam aliquam. Ita statutum est in c. Qui syncrea, 45. dist. ex Greg. lib. 11. epist. 15. & idem sumitur ex eodem Greg. lib. 2. cap. 91. epist. 52. Idem statuitur in Concil. Tolet. 4. c. 56. & habetur in c. De Iudaeis, 45. dist. Idem statuitur in capit. Sicut Iudaei, de Iudaeis & Sarac. De Iudaeis, quae relatiue tractatur in materia de fide. Secundo supponendum est, iure naturae patrem habere ius in filium, ut eum instituat, & in rebus omnibus dirigat, atque gubernet: praesertim, quamdiu filius propria voluntate regi non potest: quia filius ex vi originis est aliquid patris: & ideo est sub patria potestate, ita, quia pater iure naturae tenetur providere filio, ac res illius diligenter curare: ergo e contrario, ut fit aequalitas, ius in filium ex natura rei ad patrem spectat. Ex his ergo concluditur ratio, nam duobus modis intelligi posset baptizare hos infantes filios infidelium, vno modo eripiendo eos parentibus, alio modo relinquendo eos sub eorum cura & potestate. Prior modus includit apertam iniuriam: non sunt autem facienda mala, ut eueniant bona. Assumptum pater, quia priuatur parentis naturali iure, & quasi dominio, quod habent in filios, quod iuste fieri non potest, quia Ecclesia nullam habet potestatem supra hos infideles, nec potest illos priuare rebus suis, ut conuert.

conuertantur ad fidem: non ergo potest priuare illos filiis suis, vt eos baptizet. Secundus vero modus imprimis includit apertum sacrilegium, nam vt dicitur in Concilio Tolet. capit. 59. non possunt moraliter loquendo, infantes baptizati educari sub cura parentum infidelium, quin eorum inuoluantur erroribus, in quo sit magna iniuria Christiane religioni, & ipsi sacramento Baptismi, vt inferius latius dicemus. Deinde esset hoc etiam contra iustitiam, quia hoc ipso quod infans baptizatur, potest Ecclesia, si oportuerit, ad tuendum honorem suscepti sacramenti, & vt semel baptizatus in fide suscepta instruat ac perseueret, potest (inquam) eum a patria potestate eripere: nam hoc ius acquirit ex vi characteris baptismalis: ergo si Ecclesia non potest filios auferre ab his infidelibus, neque etiam potest id facere, ex quo hoc necessario consequitur. Denique quia cum parens iure naturæ habeat hoc ius in alium, quacumque ratio ne alius velit vt hoc iure contra voluntatem patris, usurpat alienum ius. Et confirmatur, quia nulli legimus, Christum dedisse Ecclesiæ, hanc potestatem, neque enim hoc scriptum est, vt per se conitat, & videmus soluendo argumenta. Neque etiam est traditum. Nullus enim sanctorum Patrum id docuit: neque ex vsu Ecclesiæ id colligi potest: nunquam enim Ecclesia hoc facere consuevit. Vnde confirmatur, nam si Ecclesia haberet hanc potestatem, posset hoc solo titulo iustum bellum omnibus his infidelibus inferre, vt permitterent filios suos baptizari, & consequenter etiam instruere eos in religione Christiana, & præseruare ab omni morali periculo, & proxima occasione retrocedendi: hoc autem est plane absurdum, & contra omnem vsum & sensum Ecclesiæ.

*Respondetur ad argum.* Vt autem huius rationis vis apertius constet, oportet statim respondere argumentis primæ sententiæ. Ad primum negamus, Christum dedisse hanc potestatem Ecclesiæ, illa enim verba: Docete omnes gentes, baptizantes eos, directe ac primario respiciunt adultos, qui sunt capaces doctrinæ: per quam trahendi sunt ad baptismum: infantes vero, qui per se capaces non sunt doctrinæ, per parentes trahendi sunt, quorum voluntati sunt commissi, vt per eam gubernentur. Atque ita licet Baptismus respectu illorum sit medium necessarium, tamen eis applicandum est conueniente modo, & seruato iustitiæ ordine. Et similiter quamuis præceptum Baptismi sit generale, tamen directe non cadit in infantes ante vsum rationis, quia pro tunc non sunt capaces præcepti: Pertinet ergo ad illos medijs parentibus, qui tenentur & fidè suscipere, & filios suos in ea instruere, & per Baptismum initiare. Licet autem parentes hoc præceptum violenter, non possunt ab Ecclesiâ puniri, aut ad illud seruandum cogi: quia cum non sint subditi Ecclesiæ, non habet Ecclesia vim coactiuam in illos.

*Ad 2. cõfir.* Ad confirmationem autem de tempore legis naturæ, soto concesso antecedenti, negat consequentiam. Est enim, vt ipsi videtur ratio valde diuersa, quia in lege naturæ remedium contra originale peccatum, vel nullam externam carenciam requirebat, vel saltem non fiebat præscripto ac definito ritu, neque imprimèbat characterem, ex quo oriretur specialis obligatio ad specialem modum diuini cultus & religionis seruandum, sicut nunc oritur ex Baptismo. Et ideo non videbatur tunc fieri iniuria parenti offerendo infantem vero Deo, eique fidem applicando, quia ad hoc non oportebat subtrahere filium è parentum potestate. Quæ sententia videtur probabilis. Melius tamen ac facilius, magisque consequenter respondetur negando antecedens, quia iniuria quæ nunc fit parenti, baptizando infantem ipso inuito, non oritur ex determinato ritu baptismi, neque ex characterè, sed ex iure paterno in filium, quod idem erat in lege naturæ, ac modo est. Deinde, quamuis tunc non imprimetur character, tamen infundebatur fides

supernaturalis, per illud sacramentum legis naturæ, ergo fieret contra reuerentiam debitam sacramento, & ipsi fidei, applicando illud remedium infanti educando sub cura parentum infidelium, & existenti in euidenti periculo apostasiæ. Si ergo liceret illis infantibus tale sacramentum dare, liceret etiam eos eripere à patria potestate, ne in periculo apostasiæ relinquerentur. Omitto valde incertum esse, per quos possit in illo statu valde applicari tale remedium, nam fortasse soli parentes, vel qui eorum ius obtinebant, seu in eorum locum succedebant, habebant hanc potestatem applicandi fidem suam paruulis, cum eo tempore non esset alius specialis ritus sacramenti institutus. De quare in superioribus dictum est.

Ad secundum fundamentum respondetur, licere quidem innocentes defendere iure naturæ, quando iniuria vis eis inferitur in his rebus, quæ ipso iure naturæ sunt homini debita. Defensio enim solum habet locum, vbi intercedit coactio & vis, vel manifesta fraus repugnans naturali iustitiæ: at vero parentes in fideles, qui nolunt baptizari filios suos, nullam vim inferunt, proprio loquendo, neque eis faciunt propriam iniuriam, neque abutuntur iure suo contra debitum iustitiæ ordinem, sed contra legem fidei, & contra pietatem non mere naturalem, sed vt regulandam per fidem, & supernaturalem cognitionem, cuius peccati, vt diximus, Deus est vindex. Nam de his, qui foris sunt, nihil ad nos, vt dicitur 1. ad Cor. 5. Et per hæc patet responsio ad primam confirmationem. Nam licet isti infideles abutantur patria potestate, tamen ille abusus non est per manifestam iniuriam contra legem naturæ: imo proprie loquendo non incipit ille abusus vique ad ætatem adultam filiorum, quando illi sunt capaces, vt in vera vel falsa religione instruantur: nam antea non baptizare paruulos, licet, respectu Christianorum, sit contra Ecclesiasticam legem vel consuetudinem, tamen respectu infidelium, quibus legibus Ecclesiasticis non obligantur, non est contra diuinum ius positiuum, neque contra naturale. Vnde patet, non esse simile illud, quod in secunda confirmatione adducitur, videlicet, si parens velit interficere filium. Nam homicidium est manifesta vis & iniuria contra naturalem iustitiam. Deinde est alia differentia, quia homicidium est damnum irreparabile, & ideo infans cui inferitur hæc vis, est in extrema necessitate cui ex charitate tenemur succurrere, si possumus. At vero ob dilationem Baptismi præcise ac per se consideratam, non constituitur infans in extrema necessitate spirituali, cui subuenire possumus alteri iure suo priuado, præsertim cum moraliter ac regulariter fieri non possit sine magna perturbatione pacis, & cum occasione belli iniusti.

Ex his autem videntur inferri duo. Primum est, si paruulus sit in extremo mortis periculo, tunc saltem posse baptizari inuitis parentibus, præsertim secrete & occulte. Primum quidem, quia illa censetur esse extrema necessitas spiritualis, in qua videtur maior facultas concedenda. Deinde, quia iam videtur parens moraliter amisisse ius in filium, quia quod parum distat, nihil distare videtur, atque ita sentiunt Antoninus & quidam Gulielmus, quem ipse citat, & Soto hic. Quod si obiciat, quia baptizare filium, inuito parente, est intrinsece malum, cum sit contra iustitiam. Respondetur primum, id esse verum extracausam necessitatis, in eo tamen cessare solere huiusmodi iura, præsertim cum in illo articulo fere iam sit extinctum paternum ius. Licet autem hoc sit, piū & probabile, non est tamen vtendum hac facultate sine magna prudentia, & cautela. Et primum obseruandum est, vt infans in eo iam sit statu, in quo de illius vita corporali moraliter desperetur, ne si fortasse viuat, aut patri sit filius eripiendus, aut post Baptismum relinquendus in euidenti periculo apostasiæ. Deinde cauedum est, ne id fiat per manifestam violentiam,

*Ad 1. cõfir. fundam. 1. um.*

*Ad 1. cõfir.*

*Ad 2. cõfir.*

*8. Corollarij.*

*Antonini & Gulielmi & Soto. Obiectio. Respondetur.*

lentiam, cum scandalo parentum infidelium, quia hoc non potest non cedere in iniuriam religionis Christianae & occasionem praebere, ut fiant sacrilegia. Et ratio a priori reddi potest: quia in praedicto casu parens adhuc reuera possidet ius suum, & ideo ius habet illud defendendi & tuendi: ergo non potest per vim illo priuari, ne admittamus iustum bellum ex utraque parte, non fundatum in ignorantia, sed in vero ac reali iure. Et ideo licet ob necessitatem admittamus, posse parvulum in eo casu baptizari, tamen quia illa necessitas non est talis, quae lumine naturae cognosci possit, nec versetur circa rem, ad quam parens iure teneatur, ideo non concedimus facultatem subueniendi tali necessitati, per vim, sed solum secre-

2. Corollar.

Secundo infertur ex dictis, si infans iure vel iniuria de facto iam fit extra patriam potestatem, ita ut nulla sit spes, neque obligatio restituendi filium parenti suo, vel quia ignoratur, cuius filius sit, vel quia tam longe distat, ut moraliter non possit restitui, sequitur (inquam) in huiusmodi euentu posse huiusmodi filium baptizari sine consensu parentis, vel etiam si constet ipsum fore inuitum. Ita docent Caietanus, Soto, & omnes, quia tunc quamuis parens retineat veluti radicale ius, tamen amisit actualem usum eius, imo & moralem potestatem vendi illo, & ideo necesse est, ne ille infans sit omni auxilio destitutus, ut alius in eo iure succedat, qui possit & debeat curam illius suscipere: ergo ille potest eum baptizare, non expectato parentis consensu. Oportet tamen, ut ille parvulus sit ita orbatus utroque parente, ut nullum etiam tutorem habeat, ad quem ius instituendi seu educandi parvulum pertineat, nam tunc eadem est ratio de tutore, quae de parentibus, ut recte Paludanus dixit, quamuis Soto in eo casu dicat non fieri tam atrocem iniuriam. Ratio est, quia si tutor est institutus ex voluntate parentum, qui potuerunt ius suum in illum transferre, habet eundem iustitiae titulum, cum illud ius, in ipsum translatum sit: ergo est eadem ratio iustitiae, nec magis potest tutor ille iure priuari, quam parentes. Atque eadem ratio est, si tutor alio iusto titulo succedat, ut quia est avus, vel frater natu maior, vel quilibet alius legitimo iure institutus. Quod si fingamus, infantem omnibus his auxiliis destitutum, ad rem publicam, vel gubernatorem eius pertinere illi de tutore providere, vel illius curam suscipere, & ideo respectu illius, eadem erit seruanda regula, quae respectu parentis, quoad diu parvulus est sub potestate vel gubernatione Principis, aut tutoris infidelis: secus vero erit, ut dixi, si quacumque causa vel occasione subtraetus sit de potestate infidelium.

Caiet. Soto.

Palud.

Dubium 1

Respon- datur.

Greg. 9.

Duo supersunt dubia circa hanc doctrinam explicanda. Primum est, an requiratur consensus utriusque parentis, vel sufficiat vnus, etiam si alter inuitus sit. Respondetur ad primum, si mater sit Christiana ante conceptionem, & partum filij, est certum posse & debere filium baptizari, per se loquendo, etiam si pater contradicat. Est res certa, quia partus, ut dicunt, sequitur ventrem, unde hoc ipso quod filius ex matre fidei & Christiana concipitur, acquirit ius Ecclesiae ad baptizandum illum, quia ille parvulus ex vi originis nascitur subditus Ecclesiae, & hoc a fortiori constat ex iuribus statim citandis. Secundum, si pater sit Christianus, & mater infidelis, etiam poterit baptizari parvulus, consentiente patre, & renuente matre, quia parens est caput, & habet praecipuum ius in filium. Tertio, etiam si filius natus sit ex utroque parente infideli, si postea alteruter parentum conuertatur ad fidem, illius consensus sufficiet, etiam si alter contradicat, siue ille sit pater, siue mater. Ita colligitur ex capite 2. extra. de conuersi. infidelium: ubi Gregorius 9. statuit, patre conuerso ad fidem, illi esse assignandum filium puerum quadriennem, ut ab eo possit in fide Christiana educari & instrui, & idem

fere statuerat Concil. Tolet. IV. capit. 62. & habetur in capit. Iudaeo. capit. 25. quaestio. 1. ubi dicitur, filios natos, tam ex patre infideli, & fidei matre, quam ex patre fidei & matre infideli, imitari debere in religione parentem fidelem, atque ita posse baptizari. Ratio autem in patre est facilis, quia ille est caput, & ad illum maxime spectat filij cura & gubernatio, de matre vero, quando tempore partus nondum erat fidelis, non est tam euidentis ratio, est tamen sufficienter probabilis, quia ius maternum seorsum est aequale paterno. Nam licet, pater superet in causalitate, & in eo, quod est caput uxoris & totius familiae, tamen mater excedit, tum in certitudine, tum in eo quod mater plus conferat de substantia sui ad filij generationem, maioreque dolores & labores pro illo sustinet: aliunde vero aliquid dandum est parenti fidei in fauorem Christianae religionis, ut significat Greg. 9. dicto cap. & in fauorem etiam innocentiae, & salutis ipsius parvuli. Merito ergo in hoc negotio praefertur ius illius parentis, qui ad eam religionem Christianam sequitur. Quin potius addo vltimo, etiam si neuter parens infidelis ad fidem conuertatur, si tamen permittat filium baptizari, id satis esse, etiam si sola mater huiusmodi consensum praebeat, quia cum talis consensus sit in fauorem religionis, & bonum & salutem filij, praefertendus est. Nam etiam iuxta commune ius, si filius alicui ex parentibus subtrahendus est, ad iudicatum parti innocenti: Quid ergo mirum, si in hoc negotio, ubi parentes per se non consentiunt, & alteri eorum quodammodo ad iudicandum est filius, dicamus, illius consensum esse, qui, quantum ad hoc spectat, innocens dici potest, cum solus illius consensus honestus sit, & in filij commodum cedat? Haec autem omnia, ut initio dixi, per se intelligenda sunt: nam per accidens accidere potest, ut non expediat baptizare filium, altero parente inuito propter periculum apostasiae, vel alicuius sacrilegij, & ideo in eo casu curandum est, ut prius filius subtrahatur a cura & consortio parentis infidelis, ut tuto baptizari possit, iuxta doctrinam Concilij Tolet. 4. capit. quinquagesimo nono.

Secundum dubium est, cum dictum sit, hos infantes ante usum rationis non posse baptizari inuitis parentibus, posse autem statim ac ratione uti possunt, in quam aetate baptizari possint, vel quae sit in hoc regula seruanda. Quod dubium attigit hic Soto, & latius Catharinus in opus. de infantibus Iudaeorum baptizari, qui recte dicunt, per annos seu tempus tatis nullam posse certam regulam praescribi, quia neque ex natura rei definitum est hoc tempus, cum quidam homines maturius, alij tardius ratione uti incipiant. Neque etiam est taxatum hoc tempus, iure positiuo, diuino aut humano: nullum enim extat tale ius, neque ostenditur potest. Immo nec videtur haec materia capax huius determinationis, aut positiuus iuris, quia agit de remedio ad salutem necessario, cuius salutis per proprium consensum acquiritur homo est capax, statim ac potest sua libertate uti, & non antea, in quacumque aetate constitutus sit. Igitur haec sola videtur esse certa regula, quod cum primum homo peruenit ad eum statum usus rationis, in quo est capax peccati mortalis, iam tunc baptizari potest per proprium consensum, parentibus etiam inuitis, antea vero non potest. Ratio prioris partis est: quia qui habet potestatem peccandi mortaliter, iam est dominus suarum actionum: & perfecte liber. Item, potest se a Deo auertere, ergo etiam potest se ad illum conuertere. Nam si non esset capax habitus seu positivae conuersionis, neque etiam esset capax priuationis seu auersionis. Qui autem potest se in Deum conuertere, poterit etiam libere in Baptistum consentire. Et hinc etiam sumitur ratio posterioris partis. Nam qui non est doli capax & mortalis culpa, non est etiam capax ad suscipiendam fidem per proprium ac liberum consensum: ergo nec ad re-

ad recipiendum Baptismum propria voluntate. Ad cognoscendum autem, an pervenerit paruulus ad eum statum & facultatem vsus rationis, vtendum est signis, & coniecturis ex experientia desumptis, & hominis prudentis arbitrio iudicium ferendum est. Quod si signa non fuerint factis evidentia, tamen rem faciant dubiam, & aliquo modo probabilem, si necessitas non urgeat, expectari potest & debet commodior occasio, & maior cognitio. Si autem necessitas urgeat, ita vt pensatis omnibus circumstantiis, ea occasio videatur necessaria ad salutem paruuli, tunc in casu dubio inclinandum est in fauorem Religionis, & fidei Christianae, & spiritualis salutis ipsius paruuli, qui magis possidere censetur ius se tuendi, & animam suam, quam parentes possideant ius in ipsum: in casu autem dubio melius ius possidentis praereditur est. Quod etiam intelligendum est, per se considerata ratione iustitiae, nam habeda est etiam prudens ratio Christianae religionis, & omnino cauendum, ne ita baptizentur huiusmodi paruuli, vt relinquatur sub confortio parentum infidelium cum aperto periculo apostasiae.

*Dubitatio.* Sed quid, si paruulus constitutus in ea aetate, in qua exhibet aliqua probabilia signa vsus rationis, non tamen sufficientia, vt factis de libero eius arbitrio constare possit, sed res sit dubia, & parentes infideles velint eum baptizare, ipse autem nolit? Soto indicat, esse fore baptizandum, quia in casu dubij inclinandum est in fauorem Baptismi. Mihi vero oppositum verum videtur, tum propter rationem, quod in dubio melior est conditio possidentis: filius autem magis possidet se ipsum, quam possideatur a parentibus: tum etiam, quia in eo casu ipsummet sacramentum dubium redditur, an sit validum, necne. nam si fortasse paruulus habet arbitrij libertatem, ipso dissentiente, sacramentum erit nullum. Denique, quia in eo casu est eidentissimum, & quasi per se coniunctum cum tali actu apostasiae periculum, nam facile vnusquisque recedit ab eo statu, quem inuitus suscepit, etiam si fortasse ab aliquo sufficienti iudicio & rerum cognitione inuoluntarius fit.

SECTIO IV.

*Verum filij infidelium iure baptizari possint, inuitis parentibus, quando ipsi parentes subditi sunt Christianis Principibus.*

*Gabriel.* In hac quaestione est opinio Scoti in 4. d. 4. q. 9. qui absq; vlla distinctione affirmat, hos paruulos posse baptizari inuitis parentibus. Quam opinionem sequitur Gabriel ibi. q. 2. artic. 3. dub. 5. Fundamentum eorum est, quia ad principem & superiorem spectat, sibi subditos coercere, & compellere, vt Deo, qui omnium est supremus Dominus, obediant. Sed huiusmodi infideles tenentur iure diuino velle, vt filij baptizentur: ergo possunt ad hoc compelli a suis superioribus, & si obedire nolint, possunt ipsis inuitis filij eorum baptizari, vel in poenam sui criminis, vel certe, quia ipsi Principes tanquam legitimi superiores habent maius ius in filios subditos, quam ipsi parentes: & ideo nullam faciunt iniuriam parentibus, priuando eos iure patriae potestatis, maxime cum ea abutantur in perniciem filiorum, & contra Dei praecipuum. Sicut, si subditus male vtatur rebus suis in perniciem reipublicae, potest eis priuari ab habente legitimam potestatem. Ex quo fundamento sequitur primo, hoc ius baptizandi hos infantes, iuxta hanc sententiam non esse in singulis priuatis personis propria auctoritate, sed in Principe, vel quibus ipse potestatem concesserit. Probat, quia hoc ius oritur ex potestate iurisdictionis, seu coercitiuae: haec autem non est in singulis, sed in principe. Secundo sequitur, iuxta hanc sententiam non solum posse, sed etiam teneri Principem, per se loquendo, ad baptizandos hos paruulos.

Probat, quia tenetur leg. time vt ea potestate, qua habet in subditos. Dico autem per se loquendo, quia, vt ipse etiam Scotus obseruat, per accidens possunt Principes abstinere ab vsu huius potestatis, si timeat futurum esse, vt inde mala sequantur: vt ver. gratia, quod parentes occidat filios suos, priusquam subtrahatur, & baptizentur, aut si commode separari a parentibus non possunt, ita vt sine periculo apostasiae, & sacri legij baptizentur.

Secunda sententia est Durandi in 4. dist. 4. q. 6. qui subdistinguit de huiusmodi infidelibus subditis. Nam quidam sunt subditi tantum ciuili subiectione, eo modo, quo alij fideles subduntur iurisdictioni Regum. Alij vero sunt subditi, tanquam serui, qui omnino sunt sub dominio aliorum. De prioribus inquit, non posse eorum filios baptizari, parentibus inuitis: de posterioribus vero affirmat, per se loquendo, & considerata iustitiae ratione, posse baptizari: quamuis moraliter censcat id non expedire: tum propter periculum apostasiae: nam huiusmodi infantes, cum adoleuerint, facile imitantur patres suos, praesertim cum intelligant, ipsis inuitis, fuisse baptizatos: tum etiam, quia hoc modo vis quaedam inferretur parentibus, vt vel sicte conuerterentur ad fidem, vel certe filios suos occiderent, ne sibi subtraherentur a dominis, & baptizarentur. Haec doctrina Durandi mihi non displicet, quamuis Caietanus hic, & alij Thomista aliter sentire videantur: quoniam D. Thomas indistincte negat, filios infidelium esse baptizandos, inuitis parentibus. Vt vero rem totam distinctius explicemus & fundemus, oportet distinguere, vt saepe inuauimus, in hoc negotio rationem iustitiae, quae pendet ex iure, seu potestate vnus in alterum: & rationem seu obligationem religionis, ad quam spectat, vt sacramenta digne tractentur: & tertio loco adiungere possumus obligationem charitatis, ad quam pertinet cura spiritualis salutis proximi, quae iuste & religiose adhiberi potest.

Dico ergo primo, filij eorum infidelium, qui non sunt serui Christianorum, baptizari non possunt, parentibus inuitis, neque auctoritate priuata, neq; publica Christianorum Principum: etiam si parentes politice subditi sint temporali iurisdictioni Christiani Principis. Haec conclusio sumitur ex doctrina D. Thom. hic & 2. 2. q. 10. eamq; late defendunt Cypria. Palud. Caiet. Soto, locis supra citatis, & Vict. Relect. de Indis. Et quidem, quod ad priuata auctoritate attinet, praeter supra dicta circa opinionem Scoti, probari potest ex praecedenti sectione. Sequitur enim ex ibi dictis, quia vnus homo non est subditus alteri priuato homini, etiam si vterq; eidem Principi subdatur: ergo comparantur isti infideles ad alios conciuies priuata auctoritate vtentes, sicut comparantur infideles non subditi, ad Christianos principes: ergo sicut illorum filij baptizari non possunt a principibus: ita neq; istorum a priuatis personis. Vnde etiam fit, idem esse dicendum de infidelibus subditis vni Principi Christiano, respectu alterius, cuius non sunt subditi, vt v. g. de subditis Regis Hispaniae, respectu Regis Galliae, nam respectu illius non sunt subditi, & quoad hoc eadem est ratio de summo Pontifice, quia etiam ipse non habet directam iurisdictionem temporalem in huiusmodi infideles, ex eo quod summus Pontifex est: & si quos habet sibi subditos, id habet vt dominus & rex temporalis, cuius potestas quoad hoc non se extendit vltra suum gradum. Superest probanda conclusio, etiam respectu priorum Principum. Et ratio illius a priori est, quia isti infideles, quamuis sint subditi Christianis Principibus, non tamen possunt eorum voluntate priuari iure patriae potestatis, quod habent in filios: ergo non possunt etiam filij eorum baptizari, ipsis inuitis. Probat, quia hoc ius oritur ex potestate iurisdictionis, seu coercitiuae: haec autem non est in singulis, sed in principe. Secundo sequitur, iuxta hanc sententiam non solum posse, sed etiam teneri Principem, per se loquendo, ad baptizandos hos paruulos.

2. Sententia Durand.

Durandi sententia approbatur.

Conclusio.

Capreol. Palud. Caiet. Soto. Vitoris.

iustitiam non possent secure baptizare absq[ue] periculo apostasie, nisi parentibus subtraherentur. Si ergo illud prius esset licitum, etiam hoc posterius liceret: maxime, quia per Baptismum subicitur homo iurisdictioni Ecclesie, & consequenter iure liberatur paterna cura in his, quae ad gubernationem animae spectant, quatenus iuri Ecclesie acquisito contraria esse potest. Antecedens principalis argumenti probatur, quia licet isti infideles sint subditi, non sunt serui, ut suppono, ergo sicut retinent dominium aliarum rerum, ita etiam & ius naturale, quod habent in filios: ergo sicut non possunt priuari aliis rebus earumque dominio, ita nec filiis, & iure quod in illos habent. Dicitur, non posse priuari hoc iure ex sola voluntate Principis sine legitima causa: posse tamen vel in poenam, vel propter maius bonum reipublicae & aliorum subditorum, id iuste fieri à superiori habente potestatem, sicut propter easdem causas possunt subditi priuari aliis rebus temporalibus: hic autem utraque causa intercedere videtur, nam isti infideles abutuntur iure suo, quod in filios habet: ergo merentur illo priuari: ergo possunt à Principe superiori priuari. Habet enim Princeps potestatem regendi subditos in his, quae ad honestatem morum pertinent: unde & cogere possunt ad ea quae necessaria sunt ad salutem animae, & contraria prohibere. Rursus, filij istorum infidelium non minus sunt subditi Christiano Principi, quam ipsorum parentes: ergo etiam pertinet ad huiusmodi Principem providere, quae necessaria sunt ad commodum ipsorum paruulorum. Possunt ergo iuste coercere parentes, si contra illorum salutem sua potestate utantur. Et confirmatur, nam Princeps curare potest & debet, ut iura seruentur illis: & quod maius ius minori praefertur: atque adeo quod, si potestas superior & inferior inter se dissentiant, subditus potius pareat superiori potestati, quam inferiori. Cum ergo in praesenti pater infidelis ab ipso Deo dissentiat, potest princeps efficere ut diuinum ius illisum seruetur, etiam si necessarium sit parentem suo iure priuare.

*Resillitur  
obiectio.*

Sed contra hoc est: primum, quia haec omnia ad summum procedunt, in his quae pertinent ad naturalem iustitiam, & honestatem: non in his quae mere supernaturalia sunt. Nam ad haec non extenditur potestas haec politica & humana, quia haec ab ipsis hominibus proximam originem habet, media naturali ratione, & ideo excedere non potest per se ac directe res, quae cadunt sub lumen naturae. Unde in ordine ad supernaturalia data est hominibus alia superior potestas spiritalis & supernaturalis: quae non ab hominibus, sed ab ipso Deo immediate manauit: lex autem Baptismi & obseruatio eius supernaturalis est: & ideo non pertinet ad humanam potestatem cogere ad obseruationem eius. Quapropter sicut non possunt huiusmodi Principes temporales cogere ipsos parentes infideles, ut ipsi met baptizari velint (ut contra Scotum latius ostenditur in materia de fide) ita non possunt efficere, ut eorum filij, ipsi inuitis, baptizentur.

*Obiectio.*

Dices, etiam potestas, quam parens habet in filium, est mere naturalis: ergo non se extendit ad supernaturalia: ergo cum Baptismus sit supernaturalis, est extra latitudinem huius potestatis, & consequenter non fit contra illam, etiam si filius baptizetur, inuito parente. Respondetur, gratiam fundari in natura, & inde non destrui neq[ue] inuerti debet ordinem, sed pericere: & ideo, quamuis, stado in pura natura, patria potestas absoluta non se extendat ad supernaturalia, tamē hoc ipso, quod haec natura humana eleuatur ad supernaturalia, suo etiam modo eleuatur patria potestas, ut sicut ex mero iure naturali à Deo inuito ipsi naturae, filius, qui propria voluntate uti non potest, gubernandus est & consecrandus Deo auctori naturae per voluntatem parentis: ita ex iure naturali ipsi gratiae debet filius consecrari Deo

*Responsio.*

auctori gratiae per voluntatem parentis, eo vel maxime, quod non potest filius dicari Deo, ut est auctor gratiae: nec sanctificari, nisi simul ordinetur ad Deum, ut auctorem naturae: & ideo, si hoc faciendum est per voluntatem parentis, non potest illud prius fieri, ipso inuito. Sed vrgere quis poterit, retorquendo hanc doctrinam. Nam licet potestas regia, seu politica, sit humana & temporalis, & ita concludatur in pura natura, non se extendat ultra naturalia: tamen, supposita eleuatione naturae, potest consequenter extendi ad supernaturalia, quatenus supposita eleuatione & sufficienti propositione supernaturalium praceptorum, ipsa naturalis ratio dicitur illis esse obediendum, & ideo qui eis non parent, non solum contra legem supernaturalem, sed etiam contra rationem naturalem peccant. Respondetur imprimis, non esse simile: tum quia ius paternum est mere naturale & intrinsecum ipsi naturae, & ideo eleuata natura, videtur necessarium, ut conuenienter eleuetur. Ius autem regium, quamuis radicaliter dicatur esse à Deo, tamen, immediate est ab hominibus, & ideo non est ita necessarium, ipsum eleuari, & extendi ad supernaturalia: tum maxime, quia si filius baptizaretur inuito parente, non posset circa illum heredi, quod supernaturale est, quin laederetur ius patriae potestatis in eo ipso, quod naturale est: quia est veluti fundamentum ordinis supernaturalis. At vero è contrario, parens infidelis non admittendo Baptismum, vel suum, vel filij, non violat ius regium, neq[ue] aliquod, quod fit mere naturale: nam licet fortaliter peccet contra rationem naturalem, non tamen parat, sed ut admixtam ordini supernaturali. Adde (quod maxime omnia confirmat) Principem temporalem non habere iurisdictionem seu potestatem ad puniendam vel coercendam omnia delicta, sed solum ea, quae sunt contraria communi paci, & iustitiae reipublicae: hic enim est finis & scopus huius potestatis: sub quem finem non cadit Baptismus, neq[ue] contra illum peccat infidelis subditus, qui nec se, nec filium suum baptizari vult. Non ergo possunt hi principes per potestatem coercitiuam cogere hos infideles subditos ad Baptismum suum, vel filiorum: sed ad summum poterunt eos cogere, ne abutantur potestate, quam habent in filios per superpositiones, vel sacrilegia euidenter contraria rationi naturali. Unde tandem confirmatur conclusio. Nam si hi principes habent hanc potestatem baptizandi filios subditorum suorum inuitis parentibus, vel hoc est ex natura rei, supposita tantum Christi institutione: vel est ex speciali concessione Christi. Primum dici non potest, ut ex dictis patet: quia haec potestas nec est mere naturalis, neq[ue] habet necessariam connexionem cum naturali. Secundum etiam non potest cum probabilitate dici: tum quia haec specialis concessio, nec ex traditione, nec ex scriptura colligitur: quin potius versus Ecclesiam contrarium indicat, quia nunquam Ecclesia confuevit huiusmodi baptismata permittere: quia ubi de speciali institutione Christi non constat, naturalia iura seruanda sunt: tum etiam quia, si Christus Dominus talem potestatem Ecclesiae concessisset, illa potius pertinere ad spirituales potestates, quam ad iurisdictionem temporalium principum. Hanc enim Christus neq[ue] immutauit, neq[ue] auxit: ostensum autem est, Ecclesiam non habere spirituales potestates in hos infideles, quoad hoc enim eadem ratio est de infidelibus temporaliter subditis vel non subditis Principibus Christianis. Et per haec satis responsum est fundamentis Scoti.

Dico secundo, si infideles, & eorum filij, sint serui Christianorum, licite possit auctoritate dominorum filij à parentibus separari & baptizari, inuitis parentibus. Haec est sententia Durandi, quam non existimo esse contra D. Thomam, qui nihil dixit expresse de hoc speciali casu: quin potius hic artic. 10. cum in 2. argumento obiecit, filios Iudaeorum posse baptiza-

Prizati, quia Iudaei sunt serui Christiani notata, in solu-  
tione respondet, non esse proprie seruos seruitute pec-  
nali contraria libertati, sed solum esse seruientes ser-  
uitute civili, & eodem modo respondet 2.2. q. 10. arr.  
12. ad 3. in qua responsione significat, si Iudaei essent  
vere serui, fore, vt eorum filij baptizari possent ipsi  
inuitis. Atque ita doctrinam hanc ex parte admittit  
Caiet. & Soto, & alij ex recentioribus Thomistis,  
quamuis non in omnibus consequenter loquantur,  
vt ostendimus.

Caiet. &  
Soto.

Notabile.

Primo igitur, vt conclusionem probemus, suppo-  
nendum est, posse dominum suo arbitrio se parare si-  
lium seruum à patre etiam seruo, absque vlla iniusti-  
tia, ex vi potestatis & iuris, quod habet ratione domi-  
nij. Probat, quia seruitus iure gentium hoc modo  
introducitur, vt dominus possit seruum vendere,  
aut donare, aut quo voluerit, mittere. Ergo sicut hoc  
potest facere circa parentem, non expectato filij con-  
sensu, ita potest idem facere circa filium contra vo-  
luntatem patris. Antecedens constat ex communi  
consensu omnium gentium. Et ratio sumenda est ex  
ipso titulo iustitiae, in quo hæc seruitus fundata est. Est  
enim veluti iusta poena ex iusto bello introducta; in  
quo ad seruandam vitam captiuorum hac ne priu-  
etur, priuantur libertate, & rebus suis. Nam hæc om-  
nia minoris æstimantur, quam vita. Quando ergo pa-  
ter & filius in captiuitatem & seruitutem deueniunt,  
omnino constituntur sub potestate domini, vt eis  
vni possit, tanquam rebus suis, modo rationabili, &  
hominibus accommodato. Sicut ergo ex vi huius do-  
minij potest priuare seruum dominio aliarum rerum,  
ita etiam filij sui: potest ergo vnum ab alio separare  
vel per venditionem, vel per donationem. Quod à  
posteriori confirmatur, & declaratur, quoniam alias,  
si miles in bello patrem cum quinque aut sex filiis ca-  
peret, nec posset vnum sine alio captiuare, nec vende-  
re, & consequenter, si nec posset omnes alere, neq; vni  
& eidem omnes diuendere, cogere tunc omnes liber-  
tate donare, quod nullus faceret, vt existimo: neque  
est, cur id facere obligetur. Deniq; vsus ipse satis hanc  
conclusionem confirmat, & declarat hoc dominium  
in seruos hoc modo, & cum tota hac potestate esse in-  
troducitur. Quocirca in hoc puncto nulla fere est in-  
ter doctores controuersia, quamuis Capreol. in 4. d.  
5. q. 1. ar. 3. ad argumenta Durandi contra primam co-  
clusionem hoc in dubium reuocet sine vlla probatio-  
ne, quæ difficultatem ingerat. Nam licet verum sit,  
non posse dominum vt seruo ad omnem vsum pro  
suo arbitrio, quando in illo vsu est aliquid contrariu  
alteri naturali legi seu honestati: qua ratione non po-  
test illum interficere, & similia: tamen in hoc vsu se-  
parandi filium à patre, intrinsece nulla est turpitud-  
o: necius, quod pater habet in filium, tam est intrinse-  
cum, vt non possit illo priuari in poenam, iure serui-  
tutis: maius enim est ius propriae libertatis, & tamen  
eo priuatur.

Notabile.

Secundo est certum apud omnes, si filius serui in-  
fidelis semel separetur à patre, posse baptizari, inuito  
patre. Diximus enim in præcedenti sectione, etiam  
in filiis infidelium non subditorum Christianis, hoc  
verum habere, quod, si omnino sint separati à paren-  
tibus, baptizari possint, quia non debent carere om-  
ni auxilio, & tunc non possunt gubernari voluntate  
parentum, ergo multo magis hoc erit verum de sub-  
ditis & seruis. Sed assignari potest differentia: nam  
illud prius est verum, quando filij ita sunt destituti  
parentibus, vt vel omnino sint ignoti, vel nullus ad  
eos pateat aditus, vt eorum consensus postuletur,  
vel certe adeo esse difficilis, vt moraliter non possit,  
vel non expediat, qui huiusmodi filium proxime gub-  
ernat, pendere à parentis voluntate & arbitrio.  
Quod si hoc solum de his seruis infidelibus diceret-  
ur, nulla esset difficultas. Aliquid ergo amplius &  
specialius docere intendimus. Fieri enim potest, vt  
filius re ipsa sit & conuictus & loco satis à patre seiu-  
Franc. Suarez Tom. 3.

Etus absque vlla spe redeundi ad confortium eius, &  
nihilominus parentes pueri esse cognitos his, sub  
quorum cura existit, & quod etiam facile sit parente  
consulere, an velit filium baptizari. Et in eo casu in-  
dicat Capreolus quantumcunque hi paruuli vendan-  
tur, & ad remotas regiones transferantur, non esse  
scienter contra voluntatem parentum baptizandos  
ante vsum rationis, & hoc etiam docuit Soto hic,  
quamuis non satis constans in dictis suis videatur:  
prius enim dicit, falsum esse quod Capreolus ait: filiu  
separatum à patre seruo, non posse baptizari, illo in-  
uito: & tamen postea dicit, quando parentes consulti  
possunt non posse baptizari, eis inuitis: cum tamen  
hoc ipsum sit, quod Capreolus docuit. Neque enim  
ille negat, quando consulti non possunt parentes, pos-  
se filios baptizari, eis inuitis, sed potius id expresse af-  
firmat paulo inferius. Ego tamen existimo, in eo casu  
posse legitime baptizari, neque oportere parentes  
consulere, nec facultatem ab eis petere: quando qui-  
dem, licet eam non concedant, baptizari possunt. Ra-  
tio est, quia dominus succedit loco parentis, & ad eum  
pertinet ius & cura gubernandi seruum suum, sicut  
ad eum spectat providere illi de necessariis ad vitam  
corporalem. Quamuis enim hæc cura & obligatio nõ  
sit parenti ablata, quia naturalis coniunctio semper  
manet: nihilominus tamen etiam est domino acqui-  
sita, & potest illa vti absque vlla dependentia à paren-  
tibus, quando quidem ius illorum in dominum quo-  
dammodo translatum est, seu magis est illi subordi-  
natum, quam è contrario. Supponimus enim, iusto  
titulo filium esse in seruitutem redactum vel solum  
vt se paratum à patre vel simul cum illo. Et confirmari  
hoc potest ex 1. Machab. 2. vbi Mathathias omnes  
paruulos incircumcisos in bello captos circumcidit  
ecce. Nam quamuis Lyra dicat, solum id fecisse in  
filiis Iudæorum, tamen Scriptura absolute loquitur,  
& quamuis Soto dicat, si Mathathias id fecit in  
filiis gentium, fecisse quidem secundum zelum, non  
tamen secundum scientiam: hoc tamen de insigni, &  
sanctissimo viro non recte dictum videtur. Melius  
ergo dicitur: cum illi iam essent iure belli in seruitu-  
tem redacti, & à parentibus separati, iure circumci-  
di potuisse, sicut nos etiam nunc iure baptizamus fi-  
lios Saracenorum in bello captos.

Capreol.

Quocirca citata opinio Capreoli de consentientia  
parentibus, ad summum, procedere posset, quando  
infans iniuste esset captus, & separatus à patre, tunc  
enim consulendus esset pater, si fieri posset, vel (vt  
melius dicamus) potius esset filius restituendus pa-  
renti, si fieri posset, quam baptizandus, quia cum ac-  
tio fuerit iniuriola, nullum ius ex vi illius ablatum  
est patri per se loquendo: neque ille dici potest filius  
serui, de quo agimus. Quando vero iusta ac legitima  
seruitus contracta est, dominus acquirit ius in ser-  
uum, iusteque priuauit parentem iure suo. Neque  
obstat quod Capreolus obicit, hoc scilicet ius esse  
naturale patri, & ideo non posse illo priuari. Nam  
duobus modis potest intelligi hoc ius esse naturale:  
primo, quia habet originem ab ipsa natura: alio mo-  
do, quia ipsum ius naturæ obligat, vt nullus possit  
hoc ius vsurpare præter parentem, aut ipsum illo pri-  
uare. Prior sensus est verus: posterior autem falsus,  
quia non omnino ius, quod à natura ducit originem, est  
immutabile: tolli enim potest, vel inuitè, in poenam  
iustam, vel voluntarie, vt cum aliquis se vendit in ser-  
uum, & se priuat iure libertatis sibi à natura concess-  
so: sic ergo in presenti dicendum est: quia nulla est ra-  
tio specialis, propter quam hoc ius sit immutabi-  
lius, quam reliqua.

Tertio ex duobus principiis positus sequitur, pos-  
se dominum hac speciali intentione & sine vendere  
seruum, vt libere possit filium baptizare à parente  
suo separatum. Quamquam enim hoc Caietanus hic  
neget, eique Soto citato loco consentire videatur:  
hoc tamen, per se loquendo, & ablati extrinsecis in-  
Z com-

Notabile.

commodis, verius videtur. Probat, quia dominus habet potestatem libere vendendi seruum, & asportandi in remotissimas regiones, vt ostensum est: ergo ob quemcunque finem vel causam hoc faciat, non erit iniustus ex hoc praecise capite, quod separet filium à patre: nam vt iure suo. Imo ex vi talis obiecti actio illa non est mala, sed saltem indifferens, sicut vendere equum vel aliam quamcunque rem similem. Rursus finis ille vendendi patrem ad baptizandum filium non est malus: imo potius videtur habere honestatem charitatis & religionis: ergo neque facere illum actum propter hunc finem est malum. Nullam enim inordinationem aut aliam turpitudinem habet adiunctam. Responderi potest ex doctrina, quam Caietanus indicat, illud medium non esse proportionatum tali fini, & ideo contra rationem esse vnu, propter alterum facere. Antecedens patet, quia illa duo pertinent ad diuersos ordines. Nam baptizare est iuris diuini: potestas autem vendendi seruum est iure ciuili seu gentium introducta: non ergo potest vna actio recte ad aliam ordinari. Sed certe non video quo principio, vel fundamento nitatur haec illatio. Videtur enim fundari in hoc, quod ea, quae sunt iuris humani, aut mere temporalia, non licet facere propter ea, quae sunt iuris diuini seu spiritualia: nam secluso hoc principio, nulla est vis illius illationis. Hoc autem principium est omnino falsum, vt patet, tum ratione. Nam quae sunt inferioris ordinis conuenientissime ordinantur ad ea, quae sunt ordinis superioris: tum apertissimis exemplis, nam temporale regnum res est humano iure introducta, & tamen conuenientissime datum est summo Pontifici, vt optime & conuenientissime possit spirituali potestate vt: imo nullus esse potest melior finis temporalis dominij & vltus eius, quam vt ad salutem animarum proficit. Imo, vt adhibeamus exempla propinquiora praesenti materiae, qui habet dominium in seruum, potest illi libertatem donare, vt si velit, possit ad suos redire, seque à suis filiis separare. Cui ergo facit iniuriam, aut quae est inhonestas, si hoc faciat animo seu intentione baptizandi filios? Quin potius existimo, si pater sit dignus morte, & sit in potestate ducis aut Regis, vel illi parcere liberaliter, aut illum occidere iuste, nihil peccare, si eligat potius eum occidere, si nullam spem haberet spiritualis salutis eius, & timeret eum impediturum Baptismum, seu conuersionem filiorum, quia tunc neque ageret contra iustitiam, neque contra charitatem. Denique si Gentilis haberet seruum infansem filium Christiani, vel aliquid infidelis, nonne liceret illum emere solum sine baptizandi illum? Nullus, credo, negabit, hoc esse opus magne charitatis: & tamen ibi actio ciuili, humana, & temporalis ordinatur ad spiritualem, & supernaturalem finem: ergo idem est in praesenti.

Dixi autem per se loquendo, & seclusis extrinsecis incommodis, quia per accidens possit hoc, vel non expedire, vel etiam non licere: & huiusmodi sunt nonnulla, quae contra praedictam doctrinam obici possunt. Primum est, quia illa est quaedam indirecta coactio parentis ad fidem, nam si intelligat se fore vendendum & à filio separandum, vt possit filium baptizari, potius eligit ipse conuerti ad fidem, seu consentire Baptismo filij, vnde oritur morale periculum simulationis, & fictionis. Respondetur, ibi nullam esse coactionem formalem & propriam, quia neque est actio iniusta, nec fit ex formali intentione extorquendi consensum ab alio. Quod autem interuenire possit quaedam inductio indirecta, & quasi per accidens, id non habet malitiam intrinsecam. Solum oportet cauere, ne quando aliquis hoc titulo mouetur ad fidem suscipiendam, facile admittatur. Oportet enim prius sufficienter examinare, ac probare, an ficto, vel verò corde accedat.

Secundum inconueniens extrinsecum obici potest, quia si propter hunc finem separarentur filij à pa-

rentibus, periculum esset, ne parentes filios occiderent, priusquam sibi eriperentur, & baptizarentur. Respondetur, huiusmodi casum non tam frequenter euenire, vt timeri possit hoc periculum, moraliter loquendo: vnde in indiuiduo vix vnquam occurret. Quod si aliquando timeatur, facile est prius filium à patre separare, quam ipse possit in huiusmodi suspicionem venire. Ac denique si aliquando prudenter consideratis omnibus circumstantiis, probabiliter timeretur hoc periculum, nec posset aliter vitari, cessandum potius tunc esset ab huiusmodi actu, quam infans tali periculo exponendus esset.

Tertium incommodum inferri potest: quia si Christiani hoc iure vterentur in seruos infideles captiuos, etiam ipsi infideles eodem vterentur in Christianos, quos apud se haberent captiuos. Separarent enim parentes à filiis, vt eos possent, vel circumcidere, vel alii ritibus suis falsis religionibus adigere, eosque in ipsi instituere, & enutrire. Respondetur primum, vt dixi, hoc non esse tam frequens, neque oportere esse tam manifestum, & publicum, vt necesse sit in aliorum exemplum venire. Deinde existimo, paganos vel quoscunque infideles suo arbitrio ac voluntate id facturos, si in eam cogitationem incidant: nam existimant se habere verum ius dominij in Christianos, quos habent captiuos, atque ita libere posse eos ducere, seu distrahere, prout voluerint. Putare etiam possunt, obsequium se praestare Deo trahendo aliquem ad suam sectam: & ideo ex communi iure gentium arbitrari etiam facile possunt hoc fibi licere. Vnde si forte hoc non faciunt, id est, quia non magno zelo suae sectae, vel animarum ducuntur: sed solum student suae cupiditati & commoditati: tamen si qui sunt, qui huiusmodi zelum habent, non dubito, quin libere id faciant, nulla habita consideratione eorum, quae Christiani facere solent. Non est ergo quod ob timorem huius incommodi, Christianos homines hoc iure priuemus.

Quartum incommodum est, quia huiusmodi infantes cum adoleuerint, facile in apostasiam declinabunt, cum intelligunt, quos parentes habuerint, & quam sectam secuti fuerint: nam quodam veluti naturali desiderio appetunt filij sequi & imitari parentes. Sed hoc non est morale periculum, alioquin etiam si casu moreretur pater seruus, non liceret domino baptizare filium, quia esset idem periculum. Item nec nunc liceret baptizari infantes filios Turcarum, quos Christiani in bello capiunt, omnino à parentibus separatos: quod tamen est contra vsu omnium Christianorum. Imo nec liceret Ecclesiae baptizare filios haereticorum, propter idem periculum. Quando igitur huiusmodi pueri sunt à parentibus separati absque vlla spe redeundi ad illos, non est cur moraliter hoc periculum timeatur: tum quia res absentes minus mouent: tum praesertim, quia facile fieri potest, vt vel nullam, vel paruum notitiam parentum, & religionis eorum habeant: tum etiam, quia si aliquam occasionem inconstantiae inde sumere possunt, quae eadem fere est in omnibus Neophytis, doctrina & diligentia pastorum curandum est, vt eorum fragilitas praenatiur: non vero sunt propter hanc causam ad id remotam tanto beneficio priuandi. Nullum ergo apparet accidentale, seu extrinsecum incommodum, tanta morali necessitate cum hoc actu coniunctum, vt propterea possit iudicari moraliter, vel vt plurimum, illicitum. Quin potius, si prudenter fiat, non erit difficile, vt existimo, omnia inconuenientia vitare. Atque ex his sufficienter, & declarata, & confirmata relinquitur secunda assertio. Ea vero, quae circa illam desiderari possunt sectionibus sequentibus expediuntur.

(..)

1. Inconueniens.

Respond.

2. Inconueniens.

*Verum filius, infidelis servus, ac servus filius, licite baptizari possit, priusquam a parente separetur.*

**D**octores omnes, etiam hi, qui existimant licere baptizare hos infantes, hanc conditionem requirunt, scilicet, ut prius a parentibus separentur, absque vlla spe ad illos redeundi: quæ certe non caret difficultate: quam ut declarari potest: altera est religionis, altera iustitiæ. Et similiter in contrario actu duplex potest esse malitia. Vna est contra religionem: quatenus videri potest indigne conferri sacramentum. Nam licet paruulus ex se non sit indignus, tamen utens consortio parentis infidelis, non censetur subiectum dignum sacramento, propter periculum, quod ei creatur ex consortio parentis infidelis, à quo facile periretur filius, & contaminabitur (vt sic dicam) Baptismi sacramentum. Altera malitia esse potest contra iustitiam, si fortasse in hoc actu sit contra ius paternum.

*Prima diff. similia.*  
*Visio.*  
*Dilectio.*  
De priori res est facilior & extra controuersiam apud omnes Theologos. Omnes enim asserunt illum actum, saltem ex hoc capite, esse illicitum: quia si filius cohabitaret cum patre infideli, ac possit vti conuersatione, ac familiaritate illius, & pater exercebit circa filium superstitiosas actiones & ritus suæ religionis contra reuerentiam Baptismo debitam & ipse filius educabitur magno periculo apostatandi à fide per Baptismum suscepta. Quæ duo in eo casu ita sunt moraliter coniuncta, cum illa actione, vt absolute, & simpliciter censenda sit illicita. Dices, quando filius non potest ratione vti, nullum est periculum, quod a patre intrinatur in fide falsâ, cum primum autem peruenit ad vsum rationis, tunc poterit, vel separari, vel hoc incommodum aliter præueniri. Respondetur primum, non solum hoc illatum esse incommodum contrareligionem, & dignitatem Baptismi: sed etiam, quod possit parens infidelis exercere superstitiosas actiones circa filium, vt verbi gratia, circumcidendo illum, vel aliquid simile. Deinde, etiam tempore infantie non fit infans capax malitiæ, aut falsæ fidei, vel religionis, tamen non expedire prius eum baptizare postea separandum, sed potius è contrario prius separare postea baptizandum: quia in hoc posteriori ordine nullum est periculum: in priori vero semper est aliquod, vel quia amor parentum crescit, & consuetudine, ac familiaritate confirmatur: vel quia potest saltem pueris adherere memoria earum rerum, quas parentes, aut coram filiis faciunt, aut eos ab infantia docent: vel certe quia tempus vltis rationis est incertum, & prouidentia etiam humana incerta est. Vnde facile accidere potest, vt filius sic baptizatus, vel non possit separari à parente, vel certe, quod de facto non separetur propter hominum negligentiam, vel malitiam. Sicut ergo, vt digne suscipiatur sacramentum, antecedere debet bona dispositio, & non expectari post sacramentum susceptum: ita hæc separatio, quæ est veluti dispositio paruuli, antecedere debet, non subsequi sacramentum.

*Obiectorum Prima.*  
*Secunda.*  
Sed adhuc superest difficilis obiectio, nam sequitur primo, non posse licite baptizari filios hæreticorum manentes sub cura, & cohabitatione parentum. Pater consequentia, quia licet Ecclesia habeat ius baptizandi hos infantes, eo quod parentes eorum baptizati sint, tamen ex parte periculi contra religionem, videtur esse idem incommodum, saltem apostasiæ. Nam huiusmodi infantes sine dubio imbuuntur infidelitate parentum, & ab Ecclesia apostatabunt, vt experientia fieri videmus. Consequens autem videtur esse valde rigidum, & contra consuetudinem omnium. Secundo etiam sequitur filios Franc. Suarez Tomi. 3.

eorum, qui ex Mahumetanis nuper conuersi religio-  
nem Christianam exterius profitentur in Hispania,  
non posse licite baptizari. Quia est morale pericu-  
lum, quod a parentibus & superstitiose tractentur, &  
ad apostasiam inclinentur, vt est etiam experientia  
notum: consequens autem est contra communem  
Ecclesiæ consuetudinem. Tertio sequitur etiam filios  
iam adultos non esse baptizandos, nisi prius a paren-  
tibus infidelibus separentur: quia est idem pericu-  
lum apostasiæ: hoc autem non ita fieri videmus. Nam  
si filius Iudæi Romæ, vel alibi Baptismum petat, &  
post sufficientem instructionem firmus in fide appa-  
reat, non cogitur mutare domicilium, vel patens, vel  
filius, vt baptizetur. Quarto denique accedit ratio  
generalis: quia hoc periculum videtur valde re-  
mota, præsertim, si parens, & filius non cohabitent  
in eadem domo, etiam si in eadem ciuitate maneant:  
sicut in aliis peccatis eadem occasio, quæ censetur  
proxima, si esset in eadem domo, existimatur remota  
si sit tantum in eadem ciuitate. Vnde sumitur confir-  
matio: quia ad suscipiendum digne Baptismum, non  
solum esse necessaria dispositio ad fidem, sed etiam ad  
charitatem: sed si parens sit fidelis, ita tamen iniquus,  
vt moraliter existimetur educaturus filium in prauis  
moribus, ita vt sit morale periculum, cum amissurū  
baptismalem iustitiam statim ac peruenit ad vsum  
rationis, non propterea est omittendus Baptismus  
ralis infantis, nec infans sub cura talis parentis cen-  
setur indispotus ad Baptismum suscipiendum: quia  
illa est dispositio valde remota. Ergo idem iudicium  
est de periculo amittendi fidem in tempore futuro:  
quia, vt dixi, ad digne tractandum hoc sacramentum,  
non est minus necessaria dispositio ad charitatem,  
quam ad fidem. Non est ergo minus necessarium tol-  
lere occasionem amittendi charitatem, quam amit-  
tendi fidem.

*Tertia.*  
*Quarta.*  
*Ad primū.*  
Hæc argumenta, vt verum fatear, in re morali non  
paruum ingerunt difficultatem, & possent alicui vi-  
deri sufficientia ad probabiliter opinandum, hunc  
solum titulum non satis esse ad reddendum hunc  
actum illicitum, si alioqui ius iustitiæ non desit, &  
possit esse moralis spes subueniendi alio modo his  
periculis, & adhibendi diligentiam, ne illa incom-  
moda & sacrilegia sequantur. Nihilominus tamen,  
quia res est grauis & moralis, non est recedendum à  
communi sententia, cuius probabilitas magis con-  
stabit soluendo obiectiones. Ad primum ergo in pri-  
mis dicitur, non esse in omnibus parem rationem:  
quia in primis Ecclesia habet perse & directe ius ad  
baptizandum filium hominis baptizati, etiam si pater  
hæreticus sit. Deinde habet etiam directam po-  
restatem in patrem, vt ipsum possit coercere, ne fili-  
um falsis erroribus decipiat. Ad hæc ex parte peri-  
culi, moraliter loquendo videtur esse minus in pa-  
rente hæretico, quia absolute non negat Christum,  
sicut Ethnicus & Paganus: & ideo quamuis ex parte  
subiecti destruat omnino fidem Christi, tamen ex  
parte obiecti non omnino euertit Euangelium, & to-  
tam Christi doctrinam, & ita non omnino separabit  
filium à Christo & à nomine Christiano. Rursus in-  
ter hæreticos moraliter nunquam desunt Catholici,  
qui possint instruere in vera fide huiusmodi infantes,  
quando peruenerint ad vsum rationis. Sed, vt verum  
fatear hæc omnia non satisfaciunt. Nam reuera po-  
test virgeri casus, in quo sit idem periculum infide-  
litas, imo maius, quam in casu de quo loquimur,  
quia potest esse maior penuria veræ doctrinæ, & mi-  
nor facultas ad coercendos hæreticos. Parum autem  
refert ad periculum tollendum ius, quod Ecclesia ha-  
bet, si non est potens ad illud exequendum. Parum  
item refert, quod Christi doctrina in totum aut in  
partem negetur, si omnino incurrit apostasia à fi-  
de, & Ecclesia. Quocirca, vt consequenter loqua-  
mur, idem dicendum videtur in casu de hæretico, &  
Z 2 de quo-

de quocunque alio infideli, si idem sit morale periculum. Aut igitur filius haeretici baptizatur a parente, seu a ministro haeretico, & tunc concedo nunquam eis licite fieri: quia semper id faciunt animo instruendi talem puerum in falsa doctrina, ac religione, ac Baptismo contraria: Aut baptizatur a ministro Catholico: & tunc dico, ut licite fiat, necessarium esse, ut probabilem spem concipiat, fore ut huiusmodi puer baptizatus possit suo tempore in vera fide instrui: quod si nulla via possit huiusmodi spem moralem habere, deberet certe potius a Baptismo abstinere, supponendo paruulum esse in extrema necessitate, in qua quilibet alius baptizari potest, ut supra dixi.

*Ad secundum*

Ad secundum de filiis nouorum Christianorum, de quibus periculum est, quod eundem tantum simulent & fingant, dicendum est, quamuis in communi sit hoc dubium vel incertitudo, tamen in particulari de hac vel illa persona non posse hoc iudicari, nec de hac re existere probabile aliquod testimonium, & ideo bona fide baptizantur huiusmodi infantes, nihil temere iudicando de hoc vel illo parente: quia illa generalis suspicio non satis est ad dirigendum actum moralem in particulari. Quapropter si in particulari constaret de tali periculo & occasione, idem iudicium esset ferendum, neque essent baptizandi huiusmodi

*Ad tertium*

infantes nisi prius a parentibus separarentur. Ad tertium respondetur, concedendo sequelam, proportionem seruata. Sic enim iure etiam Ecclesiastico cautum est in Concil. Toletano. 4. cap. 59. & habetur in cap. Iudaeorum. 28. quaestione 1. ut filij Iudaeorum (& idem est de aliis infidelibus) qui conuertuntur ad fidem, statim a parentibus separantur: ne parentum ultra inuoluantur erroribus. Haec autem separatio fortasse minus necessaria erit in his, qui iam conuertuntur in adulta aetate, quam in aliis: quia cum illi proprio arbitrio conuertantur, & prius instruantur de fallitate & deceptione suorum parentum, minus videtur esse periculum, quod ab eis iterum decipi possint. Sed hoc ad prudentiam magis spectat, & ideo in particulari considerata hominis capacitate, & modo conuersionis, & parentis diligentia ac pertinacia iudicandum est, quanta sit hominis separatio conueniens, aut necessaria. Et per haec fere patet solutio ad

*Ad quartum*

*Ad quintum*

quartum. Negamus enim hoc periculum non esse morale, & occasionem proximam, si reuera pueri ita sint in consortio parentum infidelium, ut ipsi possint, vel superstitiones suas circa ipsos exercere tempore infantiae, vel eos docere falsos errores, si cum eis nutriantur usque ad tempus usus rationis. Quae autem cohabitatio, vel coniunctio sufficiat ad hoc periculum, vel è contrario, quae separatio sufficiat ad illud tollendum, non ad doctrinam pertinet, sed ad prudentiam. Pendet enim ex particularibus circumstantiis. Aliquando enim fortasse sufficit absentia ab eodem oppido: interdum erit maior necessaria: aliquando vero forte sufficiet, ut in eadem domo non cohabitent, neque vllum inter se consortium, vel familiaritatem habeant. Denique ad confirmationem negatur similitudo: quia periculum amittendi charitatem, valde generale est, & commune omnibus. quod licet aliquantulum crescere possit ex iniquis moribus, & exemplis parentum, tamen hoc scandalum est valde accidentarium, & nunquam inter Catholicos desunt sufficientia media & auxilia, quibus possit facile superari: at vero periculum apostasiae est speciale, & multo maius, & constituens hominem in proxima & speciali occasione apostatandi à fide suscepta. Vnde est alia differentia, quod lapsus charitati contrarius, quamuis aduersetur iustitiae, quae datur per Baptismum, non tamen est directe contrarius professioni, quae in Baptismo fit, at vero apostasia à fide & Ecclesia, est directe contraria professioni, quae fit in Baptismo. Et ideo periculum apostatandi à fide multo magis repugnat condignae administrationi Baptismi.

Supere est dicendum de posteriori malitia, scilicet, contra iustitiam. Est enim difficultas, an dominus habeat ius baptizandi huiusmodi seruum infantem non separatum à patre infideli, quamuis per accidens, & ab extrinseco non possit religiose uti hoc iure, ita ut, si de facto id faciat, non peccet contra iustitiam, licet peccet contra religionem, vel è contrario, si in particulari possit vitare illud periculum, & incommodum contra religionem, possit licite baptizare seruum suum renuente patre. Et videtur sane hoc non esse contra iustitiam. Ad quod declarandum oportet aduertere, aliud esse, filium esse in consortio parentis, aliud vero, esse sub cura illius: nam primum solum dicit concomitantiam, seu cohabitationem, secundo vero dicit potestatem vnius in alterum. Vnde recte possunt haec separari, ut per se constat. Quamuis ergo filius non sit loco & conuictu separatus à patre, recte intelligi potest proprie ac formaliter non esse iam sub cura paterna, si ius patris in alterum translatum sit, ita vero fieri videtur ex vi captiuitatis, & legitime seruitutis: nam per eam videtur ius paternum translatum in dominum: nam iure dominij habet potestatem in seruum ad regendum & gubernandum illum in omnibus, quae ad ipsum pertinent. Ergo siue pater sit praesens, siue absens, potest dominus uti hoc iure suo independenter à voluntate patris absque ulla iniustitia. Et confirmatur, nam separatio illa veluti localis, quoad conuictum & habitationem, nullum nouum ius confert domino: imo est actus iuris & potestatis prius acquisitae in ipsum seruum. Ergo si illa interueniente potest baptizare filium, inuito parente, imo si habet hoc ius vtendi hoc medio ad eum finem, etiam ante omnem separationem habet hanc potestatem, & consequenter non peccat contra iustitiam, si illa vtatur absque separatione media, sed potius vtitur iure suo. Et confirmatur secundo, quia licet parens semper necessario sit parens, & hac ratione videatur semper habere ius instruendi, & gubernandi filium, tamen hoc non obstat, quominus haec potestas sit maior apud dominum, & consequenter, quod ab ipso possit impediri seu praueiri (vt ita dicam) in huiusmodi actione, & regimine, ita ut ipse non possit iuste domino per vim resistere, quominus vtatur iure suo: quamuis fortasse occulte oblata occasione possit iure paterno in filium uti: sicut est probabilis sententia, quod seruus quantumuis, si legitime bello captus, habet ius fugiendi, si potest occulte, & absque vi, quamuis, quia absolute non manet dominus suae libertatis, non possit per vim resistere domino cum impediendi, ne fugiat. Sic ergo in praesenti, etiam si parens simul cum filio maneat, & potestatem paternam aliquo modo in filium retineat, tamè à Domino poterit iuste impediri, ne illa potestate vtatur: ergo potest dominus absque ulla iniustitia illam sibi vsurpare, & ratione illius filium baptizare, inuito parente. Quia, ut saepe dixi, non est maius ius regendi, vel gubernandi filium, quam tuendi propriam libertatem.

In contrarium autem videtur esse communis sententia. Nam fere omnes Doctores, atque etiam Durandus sentire videntur, non facta separatione filij à patre, semper fieri patri iniuriam, baptizando filium ipso inuito, etiam si vterque seruus sit. Cuius fundamentum esse potest paulo antea insinuatum: quia licet pater ratione seruitutis priuari possit cura & gubernatione filij, quoad vsum, non tamen quoad proprietatem, & radicale ius paternum: quia est omnino intrinsecum & connaturale. Ergo, si filius manet conuictus patri, non poterit pater iuste prohiberi, quominus paternam curam exerceat in filium. Sicut si seruus coniugatus sit, quamuis iure seruitutis possit iuste separari à coniuge, vel venditione, vel donatione, &c. tamen, quamdiu non separatur iuste prohiberi non potest, quominus matrimonij actus

actus cum coniuge exerceat, petendo; & reddendo debitum, & debitam curam coniugis gerendo. Nam hæ actiones sunt valde intrinsecæ; & connaturalis; quibus per se loquendo, non priuatur homo ratione seruicium, quamuis per accidens priuari possit propter locorum distantiam. Ita ergo videtur esse in præfenti casu, de quo agimus. Nam ius etiam patris erga filium est valde connaturalis, & intrinsecum; & eiusdem rationis sunt actiones, quæ ab illo manant. Non ergo potest per se omnino illis priuari, quamuis per accidens possit media separatione & distantia loci. Priuaretur autem omnino, si filius existens in consortio patris, ipso inuito baptizaretur. Nam intrinsecè repugnat filium esse baptizatum, & manere sub cura patris infidelis, siue cum illo habitet, siue non. Nam per Baptismum fit paruulus de iurisdictione Ecclesiæ, & ideo fieri non potest, vt ius gubernandi paruulum iam baptizatum, in his quæ ad Deum pertinent, maneat apud parentem infidelem. Id enim, & iuri Ecclesiæ, & sanctitati Baptismi repugnat. Ergo per Baptismum fit paruulus omnino extra ius paternum. Ergo si pater non potest omnino priuari hoc iure, neque etiam poterit filium baptizari, ipso inuito.

Inter has sententias difficile est ferre iudicium: nam priores rationes videntur certe valde efficaces, & magnam facere probabilitatem: quoniam ex illis non est difficile soluere fundamentum posterioris sententiæ: quæ nihilominus securior est, & in praxi seruanda: tum propter communem opinionem, tum etiam propter fundamentum eius, quod est probabile, & exemplo adducto ex matrimonio fit valde verisimile, ex quo vnicuique facile erit prioribus rationibus satisfacere, præsertim ad illud exemplum de fuga, & iure libertatis: nam etiam si admittamus illam sententiam, quæ probabilis est, non est simile illud exemplum. Nam fuga est directè contraria dominio, & tendit ad destruendum illud: & ideo necesse est, vt qui habet dominium, saltem habeat ius impediendi fugam. At vero cura & gubernatio filij, præsertim in his, quæ ad animam spectant, non repugnat dominio, nec tendit in destructionem eius; & ideo non oportet, vt ratione seruicium possit seruus directè priuari prædicto iure paterno in filium.

Potest tamen ex hac sententia aliquis argumentari contra ea, quæ paulo antea diximus. Nam si non licet per se ac directè, parentem omnino arcere à cura & gubernatione filij: ergo neque etiam licebit filium ea intentione diuendere aut separare à patre, vt omnino liberetur ab illius cura & gubernatione, & vt non possit parens curam paternam circa illum exercere, sicut non possit seruus coniugatus; ea intentione per se ac directè diuendi; vt separaretur à coniuge, nec possit in matrimonij actum exercere. Respondetur negando consequentiam; quando in illo sine includitur honestum motum, quale est baptizare, & saluare infidelem. Nam licet concedamus dominium non habere ius priuandi patrem omni cura & gubernatione filij secum coniuuentis; tamen simpliciter habet ius separandi filium à patre, & consequenter etiam habet ius priuandi parentem omni vili regendi filium, saltem media separatione, quasi per accidens. Ergo potest hoc ipsum intendere propter quemcumque honestum finem. Atque idem erit proportione seruata in alio exemplo, quamuis intercedat dissimilitudo. Nam in separatione vnus coniugis ab altero, non potest proprie intercedere illa intentio Baptismi, de qua agimus, cum vterque sit adultus: tamen, si aliqua alia intentio honesta excogetur, quam possit dominus serui intendere, per illud medium vendendi seruum, & separandi à coniuge, non vi deo cur non possit hoc directè eligere, & velle propter illum finem.

Sed quæri hoc loco potest circa hanc & præcedentem sectionem, quinam infideles censendi sint ex his

Franc. Suarez, Tom. 3.

seruis, cum quibus licitum est hoc iure vt: quod dubium specialiter tractari solet de Iudæis, qui in aliis quibus prouinciis sub potestate Christianorum Principum degunt: Authores enim aliqui hos Iudæos inter seruos computare videntur, vt Caietanus & Durandus; & expressè Angelus, verbo, Baptismus 3. numer. 11. quibus fauet modus loquendi Innocent. III. in capit. Et si Iudæos. extra. de Iud. & Sarace. dicentis, Iudæos propria culpa perpetuæ seruituti submisit. Dicendum vero est in primis, hos Iudæos, qui nunc sunt subditi Principibus Christianis; non esse proprie seruos, sicut sunt mancipia: & ideo in eorum filiis non procedere doctrinam datam de filiis seruorum. Ita docet Soto, & est consentaneum Diuo Thomæ hic ad 2. nam hoc sensu dicit, Iudæos esse seruos seruitute civili; id est, tanquam subditos & tributarios. Et ratio est, quia licet Iudæi ob culpam suam digni sint seruitute: quo sensu videtur locutus Innocentius: & quamuis etiam in principio, quando per bellum superati sunt, iuste potuerunt in captiuitatem, & seruitutem redigi, quod etiam in prædicto textu insinuat: tamen iam nunc de facto non sunt hoc modo serui effecti, vt ipse vltis satis docet. Tractantur enim vt Vasalli & tributarij, nec vendi possunt, vt mancipia. Deinde generaliter dicendum est, eos tantum infideles esse proprie seruos, qui vel iusto bello capiuntur, vt sunt ordinarij Saraceni, Turcæ, &c. vel qui pretio emantur à veris dominis, qui ius habent illos vendendi: de quibus magna est questio, quæ ad hunc locum non spectat: nam hic non tractamus, quando aliquis legitime fiat seruus, sed quomodo possit illi Baptismus dari supposito dominio in eum, tanquam in seruum.

## SECTIO VI.

Utrum Christiani teneantur huiusmodi infantes baptizare.

Diximus hunc actum esse licitum: dicendum superest, an sit etiam ex præcepto necessarius: præsertim, quando Christiani hos infantes à parentibus separatos in bello capiunt; ita vt tunc non possint licite eos parentibus seu tutoribus reddere, etiam accepto pretio. Quod dubium non inuenio sub his terminis ab authoribus tractatum: est tamen graue, quodque interdum nobis in praxim venit, & ideo dicam breuiter, quidquid in veramque partem occurrit, quidque probabilius censeam.

Quod ergo milites, qui hos infantes captiuant, vel alij, ad quorum dominium perueniunt, teneantur eos baptizare, nec possint licite amplius eos vendere infidelibus, videtur colligi ex Scoto, Gabriele, & alijs, quatenus sentiunt, Principes Christianos habentes infideles subditos, non solum posse, sed etiam teneri ad baptizandos eos, si conimode possint. Et potest fundari primo in officio & iure dominij, ratione cuius, sicut in hos dominos transfertur potestas supra hos infantes, ita etiam cura salutis eorum. Ergo tenentur prouidere necessitati illorum: ergo & baptizare illos, quod est eis maxime necessarium. Et confirmatur, nam sicut filius ante usum rationis, quamdiu est sub cura parentis, quia non habet voluntatem propriam, sed voluntas patris reputatur voluntas eius, ita postquam constitutus est sub potestate domini, voluntas domini reputatur voluntas serui. Ergo tenetur dominus id velle fieri circa seruum suum infantem, quod ipse, si posset, velle deberet. Sed si esset in potestate serui, teneretur potius velle baptizari, quam reddi parentibus: ergo hoc ipsum tenetur velle & facere dominus. Quod etiam sic explicatur: nam si ille seruus

Z 3 possit

Caiet.  
Durand.  
Angelus.  
Innocent. 3.

1. Propositio  
Soto.

2. Propositio

Paris affirm.  
matrua pro-  
bar.  
Scotus.  
Gabriel.

Primo.

posset ratione vti, & petere Baptismum, non posset licite dari aut vendi parentibus: ergo eandem voluntatem tenetur habere dominus, per cuius voluntatem paruulus regitur. Secundo oriri potest hæc obligatio ex charitate, quia tenemur amare proximum in spiritualibus magis, quam nos ipsos in corporalibus vel temporalibus: & ideo tenemur ei subuenire in spirituali necessitate exilenti, etiam cum aliqua iactura temporalis commodi pro ratione necessitatis & iactura, vt constat ex doctrina D. Thomæ 2. 2. quaest. 26. artic. 5. & quaest. 33. ar. 2. Sed in præfenti casu, necessitas paruulorum est grauissima ac fere extrema. Nam si reddantur parentibus moraliter loquendo, constituantur in euidenti periculo infidelitatis, & mortis æternæ: si autem retineantur & baptizentur, in primis liberantur a grauissimo malo infidelitatis, & prauissimorum peccatorum, quæ illam consequuntur: & deinde constituuntur in statu, in quo probabilissime sperari potest æterna eorum salus. Deinde huic eorum necessitati subueniri potest absque vlla fere iactura temporali: nam licet parentibus non vendantur, poterunt vendi fidelibus. Dices, si nunquam reddantur parentibus, erit magna illorum copia inter fideles: vnde fiet, vt vili pretio æstimentur. Sed hoc & partim momenti est, si cum spirituali necessitate conferatur, & moraliter hoc non potest accidere. Quia absolute vix alicubi est magna copia horum infantium. Et confirmatur, quia tenemur baptizare paruulum in extrema necessitate constitutum, & morti proximum, etiam cum periculo propria vitæ corporalis, vt tenet probabilior sententia, fundata in illo principio de ordine charitatis, quam tenet Syluester, verbo, Bellum. 2. §. 4. & Cordub. qui refert alios, libr. 1. qq. Theologicæ quaestione 26. dub. vltim. Ergo a fortiori erit obligatio in præfenti casu, vbi spiritualis necessitas paruuli tam grauis est, & temporale incommodum fere nullum. Tertium argumentum sumi potest ex ratione cooperationis. Nam Christianus vendens vt tribuens hos paruulos infidelibus, videtur certe cooperari infidelitati eorum, quam exercebunt in huiusmodi paruulos, vel saltem præbere illis materiam vel occasionem prauæ operandi. Hoc autem videtur esse intrinsece malum, sicut dare arma gerenti iniustum bellum, vel pecunias exercenti vltimas.

Secundo.

Syluest.

Cordub.

Tertio.

Pars negatiua probatur.

Durand. Palud. Capre. Caiet.

Soto. Probatur hæc sententia.

Nihilominus, simpliciter loquendo, verius videtur, sine villo peccato posse hos infantes vendi parentibus, & consequenter absolute non esse obligationem eos baptizandi. Cui sententiæ imprimis fauere communis doctrina Theologorum docentium, non licere, vel saltem non expedire, separare hos infantes a parentibus, vt baptizentur. Eiusdem autem fere rationis est retinere paruulum, ne parentibus reddatur, & separare illum. Et quamquam hoc posterius aliquid esse maius videatur, tamen auctores, qui censent hoc posterius non licere, vel non expedire, vt sunt Durandus, Paludanus, Capreolus, Caietanus, & Soto, maiori ratione responderent, illud prius, non esse præceptum, si de hoc essent interrogati. Fundamentum autem huius sententiæ esse debet, quia nullum est sufficiens principium, vnde hæc obligatio oriatur. Supponimus enim, vt per se clarum est, nullum esse positium ius, in quo fundetur. Assumptum ostenditur, discurrendo per tria capita superius posita. Nam primo, ex vi dominij non oritur hæc obligatio: licet enim dominus, quamdiu dominum retinet, teneatur habere curam serui, tamen non tenetur perpetuo conseruare huiusmodi dominum: quia neque est aliqua lex iustitiæ, quæ ad hoc obliget: neque hic est necessarius actus dominij, sed indifferens est ad retinendam vel alienandam rem, quæ sub dominio cadit. Recte igitur probat illa ratio, teneri Christianum dominum ad baptizan-

dum seruū suum infantem, quem apud se habet a parentibus separatim, si deceat, nunquam eum parentibus restituere: non tamen probat, teneri ex titulo dominij ad non restituendum. Neque aliquid probat illa ratio, quod voluntas domini reputatur voluntas infantis. Est enim valde metaphorica, neque potest ad omnes actiones applicari, præsertim ad hanc actionem vendendi seruū ipsū, in qua dominus vtitur iure suo, & operatur proprio arbitrio, & voluntate, & non quatenus in potestate suæ retinet voluntatem serui. Nihil ergo refert, quod illa actio existat voluntaria aut inuoluntaria paruulo secundum voluntatem interpretatiuam, quam habere deberet, si posset ratione vti: quia dominus non tenetur conformare se huic voluntati excogitatae potius a nobis, quam in re ipsa existentis: tum quia ipse non operatur, vt in se continens vel interpretans rationalem voluntatem paruuli, sed vt dominus, qui potest res sua vti, & alienare illam: tum etiam, quia, cum illa interpretatiua voluntas paruuli, neque existat, neque sit regula præfentis actionis, nihil confert ad honestatem præfentis eius. Quare non est eadem ratio de infideli iam adulto, qui vellet potius baptizari, quam restituere parentibus. Nam ille iam est sui iuris in his, quæ spectant ad bonum animæ suæ, in quibus nec parenti, nec domino obedire tenetur cum in morali periculo suæ salutis. Paruulus vero semper regitur aliena voluntate: & quamuis sit sub potestate domini, tamen ipse dominus potest a se abdicare hoc ius, illudque parenti restituere absque vlla iniustitia, vel iniuria, quam in hoc faciat ipsi paruulo.

Neque etiam hæc obligatio oritur ex charitate: nã licet hi paruuli hac ratione constituantur in aliquo periculo: non tamen obligat charitas ad subueniendum illis hoc medio, non solum ob temporale incommodum, quo tota ratio superioris sententiæ nitetur, sed propter alias grauiiores causas quales sunt Baptismi reuerentia, maior libertas, & honor nostræ fidei & religionis, conseruatio iuris gentium valde necessarii reipublicæ Christianæ. Singula ex his declarari possunt ex rationibus supra factis in fauorẽ sententiæ D. Thomæ, nimirum, quod infideles hoc modo baptizati frequenter sunt parum constantes in fide, quodque non decet religionem nostram vti huiusmodi medijs violentis, & valde extrinsecis ad aggregandos homines ad hanc religionem: nam hoc potest reddere illam odiosam infidelibus. Quæ rationes, quamuis extrinsecæ videantur, tamen etiam charitatis ratio extrinseca est, & vt illa obliget, omnes circumstantiæ tam extrinsecæ, quam intrinsecæ sunt considerandæ. Rursus redemptio captiuorum iure gentium est introducta, & est valde necessaria ad pacem hominum, & ad vitanda maiora mala, & homicidia. Ergo non obligat ratio charitatis ad nunquam seruandum, seu exequendum hoc ius gentium in huiusmodi infantibus, quia hinc fortasse maiora incommoda sequerentur. Quod potest in hunc modum explicari, quia si infideles intelligerent, Christianos nunquam donare libertate hos infantes, atque ad hoc ius suis legibus obligari, etiam ipsi infideles retinerent apud se nostros infantes captiuos, neque esset locus redemptionum eorum. Exponerentur ergo filij Christianorum magno periculo, vt filios infidelium eo liberaremur. Imo detrimentum nostrorum infantium esset multo certius, quam sit vtilitas infantium infidelium: quia facilius est degenerare a vera fide, & in errorem delectere, quam constanter perseuerare in fide suscepta sine proprio consensu & contravertentem parentum consuetudinem. Dicitur fortasse, non esse Obligatio. Respondetur, hoc esse quod inquirimus, an hoc malum sit, scilicet, reddere hos paruulos parentibus infidelibus: & hoc negamus esse malum. Nam per se ex obiecto nullam malitiam habet. Aliud vero malum, quod inde timetur,

Infantia.

Respond.

tur, scilicet, quod hi parvuli fiant infideles, non fit à Christianis illos vendentibus, sed à parentibus. Permittitur autem à Christianis, quia illos vendunt, & hoc modo licitum est, & charitati consentaneum, permittere minus magisque alienum malum, propter vitandum maius ac magis proprium. Aliter responderi potest, reuera non vitari hoc maius malum, quia infideles de facto nunquam concedunt libertatem infantibus Christianorum, quos captiunt, sed omnino apud se retinent, ut paganos illos efficiant: ita enim refertur. Respondetur si ita est, licitum est, par pari referre. Vix tamen credibile est, eos nunquam diuendere huiusmodi infantes, quamvis fortasse difficultius & maiori pretio id faciant: quapropter non expedit eis dare occasionem, ut in hoc negotio duros fiant: & ideo non est hæc obligatio nostris militibus, seu fidelibus imponenda. Accedere vterius potest temporale detrimentum, quod interdum esse potest non minima existimationis, si nonnulla alia præter supra dicta considerentur. Primum, quod huiusmodi seruitoro tempore infantia nullam vilitatem afferunt dominis suis, sed potius sunt illis sumptui, & labori. Deinde, sepe non possunt illos apud se retinere, neque educare & alere, ut verbi gratia, si domini quillos captiuiant, sunt milites, qui neque inueniunt Christianos homines, qui illos velint emere, nec possunt commodè illos in aliquam provinciam Christianorum transmittere, nec secum ferre. Cur ergo hi non poterunt pretio accepto ad suos remittere? Quin potius hinc vterius fieret, ut milites intelligentes, se non posse captiuare hos parvulos cum aliqua vilitate, sed potius cum magno onere & obligatione, vel remissius bellum agant, vel certe illos interficiendos censent potius, quam captiuandos. Igitur, pensatis omnibus, hoc medium perpetua seruitutis, quod valde extrinsecum est, tot habet incommoda, ut non possit absolute existimari charitas ad illud obligare, loquendo moraliter ac regulariter, quamvis fortasse in aliquo speciali casu, præsertim si extrema necessitas interueniat, hæc obligatio admitti possit.

Vltimum caput, quod ex cooperatione sumebatur, minoris est difficultatis: negamus enim hanc esse cooperationem. Nam Christianus vendens seruum vitur iure suo, & rem facit ex obiecto, vel indifferenter, vel bonam, scilicet, filium parentibus restitueri. Quicquid vero postea sequitur, est per accidens ex malitia parentum, quam alter vitare non tenetur propter dictas causas: & ideo illi non imputatur. Sicut non est malum soluere pecunias homini exercenti viuras, quamuis ipse male sit illis viurus: quia hoc *Corollariū* est valde extrinsecum & accidentarium. Nulla est ergo sufficiens ratio huius obligationis, generatim loquendo. In particulari vero, ut dixi, considerandæ sunt omnes circumstantiæ, non solum ad iudicandū de obligatione, quæ vel nunquam, vel raro intercedit, sed etiam ad consulendum, quid agere expediat, quidque melius sit. Atque hinc etiam à fortiori colligitur, quando aliquis apud se habet captiuum parentem simul cum paruo filio, non esse obligationem separandi vnum ab altero, ut baptizetur infans: tum quia opinio probabilis est, hoc non licere. multo ergo probabilius erit, non esse necessarium: Tum etiam, quia fere omnes rationes factæ, eadem vel maiori proportione hic applicari possunt, neque vila noua ratio in contrarium occurrit.

ARTICVLVS XI.

Utrum pueri in maternis vteris positi sint baptizandi.

426. q. 1. a. 1. q. 1. & dist. 33. q. 2. ar. 2. q. 1. ad 1. & 2. **A**d vndecimum sic proceditur. Videtur, quod pueri in maternis vteris existentes possint baptizari. Efficacius enim est donum Christi ad salutem, quam peccatum Adæ ad

damnationem, ut Apostolus dicit, Rom. 5. Sed pueri in maternis vteris damnantur propter peccatum Adæ. Ergo multo magis saluari possunt per donum Christi: quod quidem fit per Baptismum. Ergo pueri in maternis vteris existentes possunt baptizari.

2. Præterea, Puer in vtero matris existens, aliquid matris esse videtur. Sed baptizata matre, baptizatur quicquid est in ipsa existens. Ergo videtur, quod baptizata matre, baptizetur puer in vtero eius existens.

3. Præterea, Mors æterna peior est, quam mors corporalis. Sed de duobus malis minus malum est eligendum. Si ergo puer in vtero matris existens baptizari non potest, melius esset, quod mater aperiretur, & puer educitus baptizaretur, quam quod puer æternaliter damnaretur absque Baptismo decedens.

4. Præterea, Contingit quandoque, quod aliqua pars pueri prius egreditur: sicut legitur Genes. 38. quod parente Thamar, in ipsa effusione infantum, vnus protulit manum, in qua obsterix ligauit coccinum, dicens, Iste egredietur prior: illo vero manum retrahente, egressus est alter, Quo, ndoque autem in tali casu imminet periculum mortis. Ergo videtur, quod illa pars debeat baptizari puero adhuc in materno vtero existente.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in Epist. ad Dardanum: Epi. 17. inter Nemo renascitur, nisi primo nascatur. Sed Baptismus est quædam spiritualis regeneratio. Non ergo debet aliquis baptizari, priusquam ex vtero nascatur.

Respondetur dicendum, quod de necessitate Baptismi est, quod corpus baptizandi aliquo modo aqua abluatur, cum Baptismus sit quadam ablutio, ut supra dictum est. Corpus autem infantis, antequam nascatur ex vtero, non potest aliquo modo abluí aqua, nisi forte dicatur, quod ablutio baptismalis, qua corpus matris lauatur, ad filium in ventre existentem perueniat. Sed hoc esse non potest: tum quia anima pueri, ad cuius sanctificationem ordinatur Baptismus, distincta est ab anima matris: tum quia corpus pueri animæ, iam est formatum, & per consequens a corpore matris distinctum. Et ideo Baptismus, quo mater baptizatur, non redundat in prolem, in vtero matris existentem. Vnde Augustinus dicit contra Iulianum. Si ad matris corpus id quod in ea concipitur, pertinet, ita ut eius pars imputetur, non baptizaretur infans, cuius mater baptizata est, aliquo mortis vrgente periculo, cum eum gestaret in vtero. Nunc vero cum ipse etiam, scilicet infans, baptizetur, non vtrique ad maternum corpus, cum esset in vtero, pertinebat. Et ita relinquitur, quod nullo modo infantes in maternis vteris existentes, baptizari possunt.

Ad primum ergo dicendum, quod pueri in maternis vteris existentes, nondum prodierunt in lucem, ut cum aliis hominibus vitam ducant. Vnde non possunt subici actioni humane, ut per eorum ministerium Sacramentum recipiant ad salutem. Possunt tamen subici operationi Dei, apud quem viuunt, ut quodam privilegio gratie sanctificationem consequantur: sicut pater de sanctificatus in vtero.

Ad secundum dicendum, quod membrum interius matris est aliquid eius per continuationem & vniuenti naturalem partis ad totum: Puer autem in vtero matris existens, est aliquid eius per quandam colligationem corporum distinctorum. Vnde non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod non sunt faciendæ mala, ut eueniant bona, ut dicitur Rom. 3. & ideo non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum. Si tamen mater mortua fuerit, viuente prole in vtero, debet aperiri, ut puer baptizetur.

Ad quartum dicendum, quod expectanda est totalis egressio pueri ex vtero ad Baptismum, nisi mors imminet. Si tamen primo caput egrediatur, in quo fundantur omnes sensus, debet baptizari, periculo imminente: & non est possibile rebaptizandus, si eum per se nati contigerit. Et videtur idem

Lib. 6. c. 3. non longe ante modum. tom. 7.



itur idem faciendum quacumque alia pars egrediatur, periculo imminente. Quia tamen in nulla exteriorum partium integritas vitata consistit, sicut in capite videtur quibusdam, quod propter dubium, quacumque alia parte corporis abluta, puer post perfectam natiuitatem sit baptizandus sub hac forma: Si non es baptizatus, ego te baptizo.

COMMENTARIVS.

Hic articulus fere expositus est in superioribus: nam si paruulus omnino clausus est in vtero matris, constat non posse baptizari: quia neque aliqua tangi in seipso potest; neque per matrem baptizari. Nam cum sit persona ab illa distincta, ablutio matris, non potest ablutio filij reputari, vt bene notauit Aug. 6. cont. Iulian. cap. 1. & c. 6. habetur in c. Si quidquid, de consecrat. d. 4. Et ideo in Conc. Neocæsari. cap. 6. dicitur. Baptismum mulieris prægnantis non communicari, nec prodesse filio. Oportet ergo, vt prius aliquo modo egrediatur ex vtero. Et quidem extra casum necessitatis, iam supra diximus expectandum esse, vt perfecte nascatur: in necessitate vero baptizari potest itatim ac ex vtero exiit pars corporis, quæ ad Baptismum perficiendum sufficit, vt superius, disp. 20. scilicet. 2. dictum est.

Hic vero solum addendum occurrit, cum dicitur, debere hominem prius nasci ex vtero, vel omnino, vel ex parte, quam baptizetur: non oportere intelligi de propria natiuitate. Quacumque enim ratione fieri possit, vt ablatur, id factis erit ad valorem Baptismi: etiam si propria natiuitas humana non precedat, quia substantia sacramenti consistit in ablutione sub debita forma verborum. Vnde si mortua sit mater habens infantem in vtero, & aperiatur, ac detegatur puer, illa non est propria corporalis natiuitas, & tamen circa illum puerum perfici potest Baptismus: nec solum potest, sed etiam debet, quando mater prius mortua est: nam interficere, & aperire adhuc viuentem, ne prius filius sine Baptismo moriatur, nunquam licet, vt bene Paludan. notauit in 4. distinct. 6. quaestio. 1. quod est intelligendum, etiam si mater sit iam non morti proxima, & infallibiliter expectetur mors eius, ac probabiliter timeatur, ne filius prius moriatur. Quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona: & quamdiu vita durat, nemo est dominus eius, vt possit illam violenter auferre propter salutem alterius.

Non est exigenda propria natiuitas, vt infra baptizari possit.

Palud.

Si mulier prægnans sit morte aegra accelerari potest, ut puer baptizari possit. prægnantem ff. de pœnis.

Obiectio. Respon.

Solum posset excipi casus, quando mater alias est morte digna, & iuste est ad illam damnata. Nam licet tunc regulariter differendum sit supplicium matris vsque ad partum propter bonum prolis, vt habetur in lege, Prægnantem. ff. de Pœnis: Tamen si fingatur casus, in quo eo tempore, quo differtur supplicium, credatur prius moriturus paruulus, quam ad partum, vel natiuitatem peruenerit, & in eo casu, quamuis Paludanus dubius sit: quia (inquit) hoc non est in iure expressum: mihi tamen, non videtur esse dubium, quin tunc liceat anticipare supplicium, quantum fieri possit, seruatō ordine iuris, & iustitiæ, quia tunc nulli sit iniuria, & cedit in maximum spirituale bonum prolis. Nam dilatio, quæ in iure conceditur, non est propter matrem, sed in filij vtilitate: si ergo non solum cesset hæc vtilitas, verum etiam credatur cedere in magnum detrimentum prolis, non est necessarium, nec legi consentaneum in tali casu differri supplicium.

Dices, cessante fine legis in particulari, non cessare obligationem legis: Responderet primo, illud esse certum, quando tantum cessat negatiue, non vero si cesset contrarie, prout accideret in prædicto casu, quia non solum non esset vtilis proli, talis dilatio supplicij, sed etiam esset in magnum detrimentum eius. Deinde illa lex respectu prolis est potius beneficium quoadam & priuilegium, quam præceptum: &

ideo, si in particulari casu non habet rationem beneficij, & priuilegij, sed potius nocenti, talis casus non censetur sub illa lege comprehendenti. Et hæc quidem vera sunt ex suppositione huiusmodi euentus. Existimo tamen moraliter vix posse accidere huiusmodi casum. Nam semper maius periculum imminet proli, si mater interficiatur, & ideo loquendo præctice, & moraliter semper est differendum supplicium vsque ad partum.

ARTICVLVS XII.

Vtrum furiosi & amentes debeant baptizari.

Ad duodecimum sic proceditur. Videtur, quod furiosi & amentes non debeant baptizari. Ad susceptionem enim Baptismi requiritur intentio in eo qui baptizatur: vt supra dictum est. Sed furiosi & amentes, cum careant vsu rationis, non possunt habere ordinatam intentionem, ergo non debent baptizari.

2. Præterea, Homo brutus animalia superexcedit in hoc, quod habet rationem. Sed furiosi & amentes non habent vsu rationis: & quandoque etiam in eis non expectatur, sicut expectatur in pueris. Ergo videtur, quod sicut brutus animalia non baptizantur, ita nec tales furiosi & amentes debent baptizari.

3. Præterea, Magis est ligatus vsus rationis in furiosis vel amentibus, quam in dormientibus. Sed Baptismus non consuevit dari dormientibus. Ergo non debet dari amentibus & furiosis.

Sed contra est, quod Augustinus dicit, 4. Conf. s. de amico suo, qui cum desperaret, baptizatus est nesciens: & tamen Baptismus in eo efficaciam habuit. Ergo carentibus vsu rationis, aliquando Baptismus dari debet.

Respondet dicendum, quod circa amentes & furiosos est distinguendum. Quidam enim sunt à natiuitate tales, nulla habentes lucida intervalla: in quibus etiam nullus vsus rationis apparet. Et de his lib. quantum ad Baptismi susceptionem, videtur esse idem iudicium & de pueris, qui baptizantur in fide Ecclesie, vt supra dictum est. Alij vero sunt amentes, qui ex sana mente, quam habuerunt prius in amentiam inderunt. Et tales sunt iudicandi secundum voluntatem, quam habuerunt, dum sane mentis existunt. Et ideo, si tunc apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis exhiberi in furia & amentia: consuetudine: etiam si tunc acta contradi-canatio, tunc, si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eis apparuit, dum sane mentis essent, non sunt baptizandi. Quidam vero sunt, qui, etsi à natiuitate fuerint furiosi vel amentes, habent tamen aliqua lucida intervalla, in quibus recta ratione vsu possunt. Vnde si tunc baptizari voluerint, baptizari possunt etiam in amentia constituti. Et debet eis tunc sacramentum conferri, si periculum timeatur. Alioquin melius est, vt tempus expectetur, in quo si in sana mentis, ad hoc, quod deo vsu suscipiant sacramentum. Si autem tempore lucidi intervalli non appareas in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Quidam vero sunt, qui, etsi non omnino sane mentis existant, in tantum tamen ratione viuunt, quod possunt de sua salute cogitare, & intelligere sacramenti virtutem. Et de talibus idem est iudicium, sicut de his, qui sane mentis existunt, qui baptizantur volentes, non autem inuiti.

Ad primum ergo dicendum, quod amentes, qui nunquam habuerunt, nec habent vsu rationis, baptizantur ex intentione Ecclesie, sicut & ex actu Ecclesie credunt & penitent: sicut supra de pueris dictum est. Illi vero, qui aliquo tempore habuerunt vel habent vsu rationis, secundum propriam intentionem baptizantur, quam habent vel habuerunt tempore sane mentis.

Ad secundum.

Ad secundum dicendum, quod furiosi vel amentes carent  
usu rationis per accidens, sicut propter aliquod impedimen-  
tum organi corporalis: non autem propter defectum anime rati-  
onalis sicut bruta animalia. Unde non est de his similis rati-  
o.

Ad tertium dicendum, quod dormientes non sunt bap-  
tizandi, nisi periculum mortis immineat: in quo casu baptizari  
debent, si prius in eis voluntas apparuit suscipiendi Bap-  
tismus, sicut de amentibus dicitur Augustinus, narrat in  
4. lib. Confess. de amico suo, qui baptizatus est nesciens, pro-  
pter periculum mortis.

COMMENTARIUS.

Hic articulus iam est in superioribus explicatus.  
Nam hi amentes, si sint perpetui, inter infantes  
computantur: si vero aliquando vltim rationis ha-  
buerint, eadem est ratio de illis, quae de aliis adultis,  
iudicandi autem sunt iuxta statum, & voluntatem  
in qua inuenti sunt, quando in amentiam inciderunt.  
Neque circa litteram D. Thomae aliquid nouum, aut  
speciale notandum occurrit.

QVÆSTIO LXIX.

De effectibus Baptismi, in decem ar-  
ticulos diuisa.



DEINDE considerandum est de effectibus  
Baptismi.

Et circa hoc quaeruntur decem.

Primo, vtrum per Baptismum auferantur om-  
nia peccata.

Secundo vtrum per Baptismum liberetur homo ab omni pena.

Tertio, vtrum Baptismus auferat penalitates huius vite.

Quarto, vtrum per Baptismum conferantur homini gratia &  
virtutes.

Quinto, de effectibus virtutum, qui per Baptismum conferun-  
tur.

Sexto, vtrum etiam paruuli in Baptismo gratiam & virtutes  
accipiunt.

Septimo, vtrum per Baptismum aperiatu r baptizati iamua  
regni caelestis.

Octauo, vtrum Baptismus aequalem effectum habeat in omni-  
bus baptizatis.

Nono, vtrum scilicet impediatur effectum Baptismi.

Decimo, vtrum, recedente fictione, Baptismus obtineat effe-  
ctum.

SECTIO I.

Vtrum per Baptismum tollantur omnia peccata:

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod per Baptismum  
non tollantur omnia peccata. Baptismus enim est qua-  
dam spiritualis regeneratio, qua contraponitur generationi  
carnali: sed per generationem carnalem homo contrahit so-  
lum originale peccatum, ergo per Baptismum soluitur solum o-  
riginale peccatum.

2. Præterea, Penitentia est sufficiens causa remissionis ac-  
tualium peccatorum. Sed ante Baptismum in adultis requi-  
ritur Penitentia, secundum illud Actuum 2. Penitentiam a-  
gite, & baptizetur vnusquisque vestrum. Ergo Baptismus  
nihil operatur circa remissionem actualium peccatorum.

3. Præterea, Diuersorum morborum diuersa sunt medici-  
na: quia, sicut Hieron. \* dicit, non sanat oculum, quod sanat  
vultum hoc calcaneum. Sed peccatum originale, quod per Bap-  
tismum tollitur, est aliud genus peccati à peccato actuali. Ergo non omnia  
peccata remittuntur per Baptismum.

Sed contra est, quod dicitur Ezech. 36. Effundam super  
vos aquam mundam: & mundabimini ab omnibus inquina-  
mentis vestris.

RESPONDEO dicendum, quod, sicut Apostolus dicit,  
Roman. 6. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu in mor-  
te ipsius baptizati sumus. Et postea concludit. Ita & vos existi-  
mate mortuos quidem esse peccato: viuentes autem Deo in Christo  
Iesu Domino nostro. Ex quo patet, quod per Baptismum homo  
moritur vetustati peccati: & incipit viuere nouitati gratiae.  
Omne autem peccatum ad pristinam vetustatem pertinet.  
Vnde consequens est, quod omne peccatum per Baptismum tol-  
latur.

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut Apost. dicit Ro-  
man 5. Peccatum Adæ non tantum potest, quantum potest  
donum Christi, quod in Baptismo percipitur. Nam iudicium  
ex vno in condemnationem, gratia autem ex multo delictis in  
iustificationem. Vnde Augustinus dicit in lib. de Baptismo par-  
ticularium, quod generante carne tantummodo trahitur pec-  
catum originale: regenerante autem spiritu, non solum  
originalium, sed etiam voluntariorum fit remissio peccato-  
rum.

Ad secundum dicendum, quod nullus peccati remissio  
fieri potest, nisi per virtutem passionis Christi: vnde & Apo-  
stolus dicit, Hebr. 9. quod sine sanguinis effusione non fit re-  
missio. Vnde motus humana voluntatis, qui est in peniten-  
te, non sufficeret ad remissionem culpa nisi adesset fides passio-  
nis Christi, & propositum participandi ipsam, vel suscipiendo  
Baptismum, vel ubi cuncto se clauibus Ecclesiae. Et ideo,  
quando aliquis adultus penitens ad Baptismum accedit,  
consequitur quidem remissionem omnium peccatorum ex  
proposito Baptismi: perfectus autem ex reali susceptione Ba-  
ptismi.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa procedit de par-  
ticularibus medicinis. Baptismus autem operatur in vir-  
tute passionis Christi, quae est vniuersalis medicina om-  
nium peccatorum. Et ideo per Baptismum omnia peccata tol-  
luntur.

COMMENTARIUS.

Respondet D. Thom. Baptismus habere virtutem  
ad tollendum omne peccatum. Quam veritatem  
in argumento, sed contra, confirmat ex illo, Ezech. 36. Effundam  
super vos aquam mundam: quem locum, vt supra notauimus  
disp. 20. sect. 1. Hierony. de aqua Baptismi intelligit. Quam  
expositionem Theodoretus etiam sequitur, atque eodem modo  
interpretatur Cyprianus epist. 70. & 76. & in 2. par. illius, alias  
lib. 4. epist. 7. Sumitur etiam ex Athanasio epi. ad Se-  
rapionem, contra eos, qui dicunt Spiritum sanctum esse  
creaturam: dicit enim, promissiones ibi per Ezechielem factas,  
solum tempore Messiae esse impletas. In corpore autem  
articuli, eandem veritatem confirmat ex Paulo, ad Rom. 6. dicente.  
Nos per Baptismum consuepeli in Christo in mortem, vt in  
nouitate vitæ ambulemus: quod infra exponens ait, eos  
qui baptizati sunt, mortuos quidem esse peccato, vi-  
uentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro: mori  
autem peccato, vt superius idem Paulus exposuerat, idem est,  
quod iustificari à peccato.

Ex quo loco colligit D. Thom. rationem, quae dupli-  
citer formari potest: primo, quia non potest quis iustificari  
ab vno peccato, verbi gratia, originali, quin iustificetur ab  
omnibus. Si ergo Baptismus habet virtutem iustificandi  
hominem à peccato, necesse est, vt possit delere omnia  
peccata. Quae ratio procedit optime de omnibus  
peccatis, quae gratiam tollunt, vt sunt originale, &  
mortalia omnia. De venialibus autem non videtur  
ita procedere: quia haec non necessario tolluntur  
per iustificationem à peccato. Potest tamen facile  
extendi ratio, quia licet non sit simpliciter necessarium,  
remitti venialia peccata simul cum mortalibus,  
quia potest homo ponere impedimentum: tamen à  
fortiori necessarium est, vt quis  
virtutem

Li. 1. de peccato  
remis. c. 1. in fi. 7.

Ezech. 36.  
Hieron.  
Theodoret.  
Cyprian.  
Athanas.

Rom. 6.

Ratio  
D. Thom.